Bibliotheca Colbertina. Liber Christopheri Cattelli: pret: ... 6

5.

CONFESSIO FIDEI ET RELIGIONIS CHRISTIANÆ, QVAM SERENISS. ET POTENTISS. ROmanorum, Vngariæ & Bohemię, etc. Regi Ferdinando, obtulerũt Viennæ in Auſtria XIIII. Die IX bris, Anni IESV Chriſti M.D.XXXV, Barones, & ex nobilitate in regno Bohemiæ ij, qui puriori doctrinæ in piis Eccleſiis, quas communitatem Fratrum Bohemicorum nominañt, dediti ſunt & coniuncti:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quæ eadem & Imperatori Maximiliano II. AVG. & Sereniß. Regi Poloniæ Sigiſmundo, etc. oblata eſt:

Recognita, & conuerſa in linguam Latinam noua interpretatione, Anno Chriſti M.D.LXXIII.

PSAL. CXIX.

Loquebar de teſtimoniis tuis coram Regibus, & non confundebar.

BASILEÆ,
M. D. LXXV.

ACTOR. XXIIII.

Hoc vero tibi confiteor, me ſecundum viam illam, quam ſectam dicunt, ita ſeruire patrio Deo, vt qui credam omnibus quæ in Lege & in Prophetis ſcripta ſunt.

PSAL. XXXIIII. IOH. XV.

Oderunt me immerito.

PSAL. LXVIII.

Propter te Deus ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & ignominiá meam. In cóſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant me.

PSAL. XCIII.

Non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet. Ad iuſticiam enim reuertetur iudicium, & eam ſequentur omnes, qui recto ſunt corde.

PSAL. CXXXIX.

Cognoui quia faciet Dominus iudicium afflicti, & vindictam pauperum, & confitebuntur iuſti nomini tuo, & habitabunt recti coram te.

PRAEFATIO DOCTORIS MARTINI LVTHERI.

QVanquam Fratres hi, per Bohemiã & Morauiam agentes, felicius & eruditius ſuam Confeßionem & doctrinam ediderint, quam vt mea vel commendatione vel præfatione opus habeant, tamen cum iam multis annis odioſo nomine Picardi, ceu hæretici et ſchiſmatici, ſint traducti, viſum eſt meo quoque teſtimonio, quantũm poſſum, illis ſeruire, ſi tamen quid valet meum teſtimonium, præſertim apud noſtros, & omnes veræ pietatis ſtudioſos. Nam quid de me ſentiãt Papiſtæ, hominum genus iamdudum reprobum, & mente corruptum, & vt iterum Paulus dicit, peccans, vt per ſeipſum et volenter damna-

tum, cur me moueret? Sum illis crucifixus, & ipſi crucifixi mihi.

Sane cum eſſem Papiſta, æmulator ſcilicet longe feruentiſsimus Romanarũ traditionum, (Nam qui nunc Papiſtæ ſunt & contra nos ſcribunt, ſerio tales non ſunt, qualis ego fui, ſed toti frigent, & vel odio vel quæſtu capti, faciunt quod faciunt, facturi idem contra papatum, ſi opes & gloriam maiorem apud nos ſperare poſſent.) Ipſe inquam cum eſſem Papiſta, vere & ex animo iſtos Picardos fratres oderam magno zelo Dei & religionis, nullius omnino lucri aut gloriæ ſtudio.

Denique cum aliquando in aliquot libros Iohannis Hus imprudens incidiſſem, & ſcripturas tam potenter & pure tractatas vidiſſem, vt ſtupere inciperem, cur talem ac tantum virum exuſsiſſent Papa & Concilium, mox terri-

territus clauſi codicem, ſuſpicatus venenum ſub melle latére, quo ſimplicitas mea infici poſſet, tam violentum regnabat in me faſcinum Papalis nominis & Concilij.

Sed poſtquam illi placuit, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, vt reuelaret mihi filium illum perditionis, ſatis multis diſputationibus contuli cum carne & ſanguine, & quos habere potui, viris optimis, metuens ne lumen, quod in me erat, tenebræ eſſent, adeo diffidebam mihi ipſi propter longitudinem, latitudinem & profunditatem Pontificiæ maieſtatis, quam hactenus & ipſe non ſegniter credideram à Spiritu ſancto regi, & errare non poſſe, donec confirmatior paulatim fiebam, dum ad meas leuiculas velitationes & quædam præludia, Papiſtæ, velut fluctus feri maris (vt Iudas ait)

deſpumarent ſuas confuſiones. Tum cœpi Papam ſuſpectum habere, & pedetentim contemnere, & tandem, prodentibus, imo deſtituentibus eum ſuis defenſoribus, per libros ipſa vanitate vaniores, pro ipſa abominatione in loco ſancto agnoſcere.

Ibi cœpit gaudium cordis mei, & circumſpectis omnibus, ego, quos Papa pro hæreticis damnauerat & perdiderat, pro ſanctis & martyribus laudabam, præſertim quorum pia ſcripta vel confeſsiones potui reperire. Cæteros vero ſuſpicabar, vel non eſſe conuictos, vel aliquo lapſu infirmitatis erraſſe, qui venia dignus fuiſſet, ſi Papiſtæ voluiſſent S. Pauli conſilium ſequi, dicentis: Si homo præoccupatus fuerit in delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu

tenteris. At ipſi Satanæ furorem ſecuti, cum auſteritate & potentia imperabant ouibus Chriſti, vt Ezechiel loquitur, quod & adhuc facere non ceſſant.

Inter hos autem occurrebant & iſti fratres, quos Picardos vocabant, iam mihi non ita inuiſi, vt antea erant in papiſtitate mea. Denique offendi in eis vnum illud & magnum miraculum, in Eccleſia Papæ pene inauditum, ſcilicet, quod omißis hominum doctrinis, quantum poterant meditarentur in lege Domini die & nocte, eſſéq; eos in ſcripturis peritos & paratos, cum in papatu ipſi Magiſtri noſtri prorſus negligerent ſcripturas, quarum titulo iactabantur, nonnulli vero ex ipſis, ne vidiſſent quidem Biblia ſacra vnquam. Quanquam fieri aliter non potuit, iacentibus linguis, non modo Græ-

ca & Ebraica, ſed & Latina, quin aliquot loci illis neceſſario obſcuri manerent, Et illud apud eos vitij hærebat, ideo quod dum vitare voluerunt ſpineta & paludes Sophiſtarum & monachorum, prorſus ab omnibus ſtudiis artium abſtinuerunt, ſimul etiam inopia coacti, quam labore manuum leuabant.

Sed nunc prodeunt non paulo cultiores & liberiores, ne dicam etiam illuſtriores & meliores; vt ſperem non ingratos neq; inamabiles fore omnibus verè Chriſtianis, ita vt & gratias nos agere oporteat quam maximas Deo & patri Domini noſtri IESV *Chriſti, qui ſecundum diuitias gloriæ ſuæ iuſſit è tenebris ſplendeſcere lumen hoc verbi ſui, quo denuo in nobis deſtrueret mortem, & illuminaret vitam. Et gratulari tum illis, tum nobis, quod qui inter*

nos

nos ipſos quoque longe abſuimus, deſtructo nunc interſtitio ſuſpicionis, qua nobis mutuo hæretici videbamur, facti ſumus prope, & reducti ſimul ſumus in vnum ouile ſub vnum illum paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum, qui eſt benedictus in ſecula, Amen.

Quod ſi quæ differentiæ in hac eorum Confeſſione occurrent, de ritibus & ceremoniis, vel de cœlibatu, meminerimus nunquam fuiſſe, neq; potuiſſe omnium Eccleſiarum omnes ritus & obſeruationes eſſe æquales vel eaſdem, Id enim non permittunt hominum, regionum, temporum rationes & varietates, modo ſalua ſit doctrina fidei & morum. Hæc enim debet eſſe eadem, vt Paulus ſæpe monet, Idem dicatis (inquit) omnes. Rurſus, vt vno ore

honorificetis Deum & patrem Domini noſtri IESV Chriſti. Nam vt coniugium ſit apud eos eo modo liberum, vt apud nos, non ſinit eorum ſtatus & conditio. Interim ſatis eſt, quod cuilibet licitum, & nulli peccatum eſſe docetur & creditur, ſalua vniuſcuiuſque fide & conſcientia. Commendo igitur in Domino omnibus piis, & hanc Confeſſionem fratrum, in qua videbunt clarè, quanta iniuria hactenus à Papiſtis fuerint damnati & vexati.

M.D.XXXV.

REVERENDIS VIRIS, PIETATE ET DOCTRINA præſtantibus, Senioribus Eccleſiæ Fratrum Bohemicorum, docentibus Euangelium Chriſti per Bohemiam, Morauiam & Poloniam, amicis & fratribus in Chriſto colendis: Gratiam & pacem per Chriſtum ſaluatorem noſtrum Vnicum.

VTrunq; in ſcriptura Spiritus ſanctus præcipit, vt & veritas doctrinæ cœleſtis integra & incorrupta retineatur ac propagetur, & vt eandem profitentes in Chriſto fidē cum omni manſuetudine & animi lenitate alij alios per charitatem tolerent, ac vnitatem Spiritus per vinculum pacis tueri ſtudeant. In quam ſententiam Apoſtolus Paulus Timotheo præcipit, vt exemplar teneat ſanorum ſermonum, quos ab ipſo didicerit in fide & charitate. Et nota eſt grauis illa & plena Spiritus ſancti ad Philippēſes exhortatio, quos vnanimes, iiſdémque ſententiis coniunctos & inter ſe mutuò affectos eſſe, eandémq; charitatē habere iubet, ne priuatim ſua, ſed quæ etiam aliorum ſint vnuſquiſq;

ſpectet, atq; ita communionem eiuſdem ſpiritus, eundémq; qui in Chriſto IESV fuit affectum, in ſemetipſis probãtes ſinguli gaudiũ ipſius expleãt. Alibi Galatas etiam periculorum, ſi diuerſum agant præmonet, videant, ne ſi diſtractis animis & voluntatibus alij alios mordeant & deuorent, viciſsim ab aliis conſumantur. Itaq; & filius Dei proſpiciens certamina & ærumnas Eccleſiæ nouiſsimorum temporũ, quas cumulatura tum piis eſſent, partim diaboli & organorum eius immani odio perſequentium veritatem, rabies, partim inquietorum hominum leuitas & intemperies, quæ affectibus priuatis prætendens ſanctum veritatis nomen, ſæpe certat de rebus non neceſſariis, & tantum nõ hoſti externo corporis eiuſdem membra obiicit: paulò ante agonem ardentiſsimis votis precatur æternum patrem, vt ſanctificet diſcipulos ſuos, in veritate, verbo videlicet, vtq; omnes vnum in ipſo ſint & maneãt, ſicvt ipſe & pater ſunt vnũ. Hæc reuerendi viri, fratres in Chriſto dilecti, vt aliàs ſępe, ita nunc maximè cùm confeſſionis veſtræ nobis oblata eſt repetitio, non ſine gemitu, quæ eſt temporum iniquitas & triſtis Eccleſię pręſentis facies, ani-

animo reputantes, toto pectore gratias agimus Deo, quòd in hac mundi fęce inter tot & tantos furores Diaboli, premẽtis Euãgelij lucem, cædibus, mendaciis, & ſophiſtica, ipſe tamen ſpiritu ſapientiæ roboris & manſuetudinis, aliquorũ adhuc in Eccleſia animos, ad cognitionem & profeſsionem veritatis excitat, ſimúlq; ad ſtudium concordiæ flectit, vt quærẽtes ipſius gloriam & ſalutem proximi, cœlos in terris plantẽt. Agnoſcimus etiam ingens Dei beneficiũ eſſe, quòd iam tot annos inter vos etiam aliquem ſibi collegit cœtum, quẽ inter idolatrias, ſuperſtitiones & errores mundi multiplices cuſtodem doctrinæ ſuæ eſſe voluit: eundemq; in mediocri tranquillitate hucvſq; clementer adeò tuetur. Ac gratulamur vobis & Eccleſiæ veſtrę eum animum, quòd laudabili maiorum veſtrorum exemplo in hanc potiſsimum curam incumbitis, vt in agnitione Chriſti proficiatis in dies, & precioſum verbi depoſitum fideliter ad veſtros quoq; vicinos & poſteros trãſmittatis. Legimus formam à vobis repetitæ confeſsionis, & iudicamus eam in fundamento cum ſcriptis propheticis & Apoſtolicis, eóq; doctrinæ genere, quod in Eccleſiis harũ

regionum ſonat cõgruere, omnéſq; pioſ qui ſine ſophiſtica iudicãt & pacem atq; ſimplicẽ veritatẽ amant in ea acquieſcere poſſe & debere. Etſi enim in ritibus nonnullis vtpote cœlibatu ſacerdotum, et paucis quibuſdã aliis pro diuerſa rerũ apud vos conditione à nobis diſcrepatis, phraſium etiã alicubi apparet diſsimilitudo, tamen cum in doctrina & fundamento vtrinq; ſit conſenſus, de iis pugnare nec volumus nec debemus. Nec videmus cauſam cur à ſocietate & gremio Eccleſiarũ noſtrarũ ad quas cõfugitis et veſtrũ cũ iis cõſenſum profitemini, temerè (id quod ab aliquib. obiici vobis conquerimini) excluderemus, cũ & dilectio diſciplinę Chriſtianę ſymbolũ, & exẽpla præceptorũ noſtrorũ, reuerẽdi patris & Doctoris Lutheri, & Philippi Melanchthonis, eorundẽ nos iudicia & moderationem hac in parte imitari iubeãt, q iã olim ipſi quoq; honorifico teſtimonio cõfeſsionẽ veſtrã primũ editã, publicè cõtra calumnias & ſuſpiciones maleuolorũ ornarũt, à qua repetitionẽ hãc aliquãto nũc ſcriptã dilucidius nihil quoad ſententiã et res ipſas attinet diſcrepare videmus. Et tot iã antea vulnerib. diſtractũ, tot ſcãdalis deformatũ eſt miſerũ

Eccle-

Eccleſiæ corpus foris & intus, vt præter mandatum Dei, vel publicę ſalutis ratio cõiunctis animis & virib. mutuas tradere operas ad cõſeruationem & propagationẽ purioris doctrinę, cogat oẽs qui à ſcelere immanium parricidiorũ & reatu innoxij ſanguinis, qui nunc maiore ſæuitia quã vnquã antea effunditur in membris Chriſti, liberare cõſciẽtias & nomẽ Chriſtianũ corã Deo & hominib. volunt ſonare. χειροθεσία & ordinatio miniſtrorũ facta in veſtris Eccleſiis cur minus legitima habenda ſit, quã quæ in noſtra cõfertur, cauſas nõ videmus, cùm quęlibet Eccleſia ſonãs incorruptã Euãgelij doctrinam, & retinens legitimũ ſacramentorũ vſum ius habeat vocandi miniſtros idoneos, & quidẽ mãdatũ cõſtituẽdi legitima iudicia & examina in quib. fiat inquiſitio in ſtudia & mores eorũ, qui in functione Eccleſiaſtica, aliis doctrina & exẽplis virtutũ, prælucere debẽt. Nec intereſt vbi facta ſit ordinatio, modo fiat ſecundũ verbũ Dei, & eo quidẽ ordine de quo inter eos penes quos eſt vocationis ius cõuenit, vt decẽter & ſine ſcãdalo in Eccleſia fiant omnia. Probamus & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quã exẽplo veteris Eccleſiæ ſine ſuperſtitione & laqueo cõ-

ſcientiarū apud vos retinetis ſeueritatē, cùm ex officio miniſtri inquirere debeāt in conſcientias eorū, qui enormibus delictis ſocietatem hominum turbāt & offendant alios vt ad ſeriam pœnitentiam conuertantur, auditores verò, obedientiam miniſtris in iis quę fiunt ſecundum Euangelium omnino debeant.

Filius Dei ſedens ad dexteram æterni patris & dona dans hominibus ἔξαρχος καὶ ἀγωνοθέτης miniſterij ſui opus quod in vobis cœpit ſpiritu ſuo clementer conſeruet, vt in vera ipſius agnitione nobiſcū creſcatis, & ſub vmbra alarum ſuarū Eccleſiam exutā omnibus præſidiis humanis aduerſus inſidias & inſultus Diaboli clementer protegat, ac mutuo charitatis vinculo docētium animos vniat, vt vnū in ipſo ſint & maneant, facturi ipſi grata & hominibus ſalutaria. Nos vt cū omnibus quibus doctrinæ puritas & pia concordia curæ eſt pacem quantum in nobis eſt, colere optamus. Ita vobis omnia pietatis & humanitatis officia, quocūq; tempore apud nos promta erunt & parata. Valete in Chriſto. Datæ Vitebergæ 8. Februarij, Anno M. D. LXXIII.

Decanus, Senior, & collegæ facultatis Theologicæ in Academia Vitebergenſi.

PIO LECTORI.

ANTE *annos plures centum et quinquaginta, excitauit propicius* Deus *in gente* Bohemica, *vrbeq́; ſedis* Re*giæ, & Academia Pragenſi, virum pium, & ſanctum* IESV *Chriſti martyrem, Iohannem* HVSSVM, *popularē noſtrū, qui in illis locis inſtaurationem quandam veritatis Euangelicæ inchoaret, & vindicare hanc à ſuperſtitionibus & corruptelis Pontificijs inciperet, adiutus autem hic fuit quaſi indicio librorum Vuicleui Angli, qui circitèr* XX *annis ante quam Huſſenſis noſtras veritatem docere inciperet, in patria terra, poſt multas exagitationes, & exilia etiā perpeſſa, placida morte diem ſuum obijt.*

Etſi autem agnoſcimus quæ per Huſſum & ſucceſſores eius Dominus *fecit in terra noſtra, initià tantum quædam fuiſſe, neq́; cum ijs cōferenda, quæ poſtea in* Electoratu Saxoniæ, *& ſchola* Vuitebergenſi, *Viri Dei, Martinus Lutherus & Philippus Melanchthon, & alij pij et docti alibi præſtiterūt, qui corpus doctrinæ Chriſtianæ inſtauratæ conſtituerunt integrum, & erudite etiam conſcriptum, Ante tamen quā Deus excitaret tales Doctores Eccleſiæ ſuæ, viſum ei fuit in noſtra terra* Bohemiæ, *noſtrarum* Eccleſiarum *opera interea vti, ad initia illa præceptoris noſtri* Iohannis *Huſi excolenda,*

conſeruanda, propaganda, à morte enim Huſsi noſtratis vſq; ad annum Chriſti M. D. XXX, *quo Auguſtana Confeſsio* Imperatori Carolo V. *exhibita eſt, intercedunt anni* C X V. *quo toto tempore, vt in terra* Bohemica *cõſeruarentur ſemina doctrinæ veræ eius quam hodie eandem profitemur, per noſtros anteceſſores* Dominus *præſtitit, qui quanto cum periculo, & perpetuò quidem ſuo, inter exilia continua, & perſecutiones maximas hoc fecerint, quãtum etiam ſanguinis horum profuſum ſit, hiſtoriæ gentis noſtræ docent.* Poſtquam enim Concilium Conſtantienſe *Huſſum condemnauit, non deſierunt* Pontificij *& clerus totus regni Bohemici, in eos, qui puriorem doctrinam profitebantur, quaſi reliquias* Huſsi *ſæuire, neq; quietam his ſedem vllam conceſſerunt.*

Et quanquam ex regibus noſtris alij aliis clementiores fuerunt, nunquam tamen incitare eos aduerſus pios Pontificij *omiſerunt, etiamſi non ab omnibus idem obtinerẽt, & pietas & ſapientia quorundam obſequi eis recuſaret.*

Statim autem poſt mortem Huſsi, diuortia quædam exiſtere inter auditores ipſius cœpere. Vna enim pars contenta Sacramento Cœnæ Domini integro, cætera neglexit omnia.

Altera zelotarum quorundam fuit, qui zelo veritatis & ſcientiæ ſanctorum excitati, cum cætera magiſtri ſui ſectari, tum quas ipſi in ſtudio ſacrarum literarum continuo ſuo deprehendebant ſuperſti-

perſtitiones & corruptelas Pontificias, *extirpare vniuerſas ſtuduerunt, & violentiæ, aduerſus* Eccle-*ſias ipſorum graſſanti, ſe opponere conati ſunt.* V*traque tamen pars communiter, odio erga* Ponti-*ficios, ex dolore propter ſublatum ab his* Iohan-*nem* Huſſum, *& perſecutiones perpetuas, quas ſuſtinebant, flagrabat immani, quod à diſputationibus, maledictis, & conuiciis, ad cædes priuatas, & frequentiſsimas quidem, progreſſum, ab his in ſeditiones & bella, atque prælia teterrima erumpere cœpit, anno à morte* Huſsi *quarto, & circiter, quo tempore* Ziſca *ille, ductor eſſe cœpit contra* Ponti-*ficios copiarum vtriuſque partis, tam zelotarum illorum, quam alterius, quæ partes tum, etſi ſententiis in pleriſque diſcrepabant, quod tamen vnius magiſtri diſcipuli eſſent, communiter & coniunctis opibus ſub* Ziſca *duce militabant.* Vim *autem & iniuriam* Pontificiorum, *& mortem* Huſsi, *ſanè grauiter hic, & in ſua gente, & vicinis huius, cum terrori eſſet toti* Romano Imperio, *vltus eſt, & multis magnis præliis aduerſarios vicit domi & foris, etſi curſus huius fuit non totius quinquennij, anno enim* M. CCCC. XXIIII, *in expeditione* Mo-*rauica ad* Pribislaum, *quod eſt* Bohemiæ *oppidum, in exercitu peſte mortuus eſt.* Quos *autem diſcriminis cauſa zelotas hactenus nominauimus, ij, quod motus illius tempore,* Bohemicum *quoddam oppidum hoſtium ſuorum, in tractu* Be-*chinenſi ſitum, euertiſſent, & caſtris ibi*

habitis, cõdidiſſent in vicinia aliud, cui nomen fece rant Tabori, *ex eo* Taboritæ *appellati ſunt, qui quam periti fuerint doctrinæ orthodoxæ veteris* Eccleſiæ, *ſcripta ipſorum docent, & diſputationes cum* Magiſtris Pragenſibus, *cõſcriptæ lingua vernacula noſtra &* Latina. *Alterum autem Huſsitarum genus, nomen gentis retinuit, vt* Bohemi *nominarentur, qui poſtea, quod poculo* Domini *in ſacramento integro, & calice vterentur, etiã* Calixtini *nominati ſunt, quaſi* Calicij *quidam ſeu* Calicini, Et *quod* Pragæ *ſedem haberent,* Pragenſes *etiam vocati ſunt, præcipui enim horum* Theologi, Magiſtri Pragenſes *& fuerunt, & in hiſtoriis nominantur, & hi ſoli quidem tum liberos conuentus, & quietam ſedem in regno* Bohemiæ, *inter & apud* Pontificios *obtinuerunt, quæ & nunc obtinent, & facile illi quidem, cum, niſi quod poculo* Domini, *& in ſacris ſuis vernacula lingua vtuntur, nihil habeant aut doceant, vlla in parte, à* Pontificijs *diuerſum, & in Sacramento etiam hoc cœnæ* Domini, *omnes idolatrias & ſuperſtitiones* Pontificias *retinent, eaſq́; augent communicatione huius cum infantibus, atq; ita ex quatuor pactorum cõmunium capitibus hæc duo ſola, neq; integra quidẽ, ſeruant.* Sed *&* Taboritæ *poſt* Ziſcam *mortuum ſuos duces habuerunt, & per annos multos cum reliquis* Bohemis, *coniunctis viribus, & domi apud ſuos, & occurrentes in vicinas terras,* Morauiam, Auſtriam, Miſniam, Voitlandiam, Bauariam, *exercitibus*

iis qui contra ipſos, vt Huſsi *reliquias, mittebantur, maximis prælijs & ingente ſtrage edita eos vicerunt, A morte ſcilicet Ziſcæ vſque ad initia concilij Baſilienſis, quod & ad placandos Bohemos, cum armis parum aduerſus ipſos proficeretur, coactum fuit. Sed tandem, occaſione etiam compactatorum (ſic enim vocarunt capita quædam, ſecundum quæ inter Calixtinos & Pontificios res componeretur, quæ Synodus Baſilienſis approbauit & confirmauit) horum igitur etiam pactorum communium occaſione oppreſsi ſunt Taboritæ. Hæc oppreſsio Taboritarum incidit in annum à morte Huſsi circitèr* XXVIII, *id eſt,* IESV *Chriſti circitèr* M. CCCC. XLIII, *amiſsis enim ducibus & omni copia & facultate defendendi ſe aduerſus Pontificios & Calixtinos, à bellis quidem neceſſario, decem fermè annis antè, cum deſtitiſſent, ad diſputationes ſe conuerterunt, quibus per totum fermè decennium illud, poſtquam à bellis quieuerunt, cum Calixtinis quaſi velitari non deſierunt, donec tandem circa ea tempora, quibus* Georgius Bodebradius *in interregno Bohemiæ pro rege vt eſſet decretum fuit,* Rokyzanæ *conſiliis callidis & veteratoriis, hæ etiam reliquiæ horum prorſus oppreſſæ fuerunt & deletæ, Vt nulli amplius vſpiam Taboritæ ſupereſſent.*

Hoc eodem tempore, & circa quidem annum Chriſti, M. CCCC. LVII. *ſub* Ladislao *primo,*

ſeceſſerunt à Calixtinis noua ſeceßione, ij qui noſtras Eccleſias fundarunt, in quibus fuerunt omnium ordinum homines. Cum enim pij illi viri & intelligentes, conuiciis tantum & cædibus rem geri, inter Taboritas, Calixtinos & Pontificios, longo iam tempore viderent, & Taboritis oppreßis, cum Pontificiis ſuos committi, neq; quicquam vllis tractationibus aut diſputationibus profici, interq; hæc neque veritatis doctrinam excoli, neq; diſciplinam Eccleſiaſticam conſtitui, & Rokyzanum, concionatorem Calixtinorum, dubia fide ſua, magis etiam implicare omnia, vt periculum eſſet, ne veritas, quam Huſſus inſtaurare cœperat, prorſus opprimeretur, ſeceſſerunt ab his omnibus, & à zelo Taboritarum diuerſum hi zelum cõcipientes, hoc vnum egerunt, vt mißis omnibus certaminibus, doctrinam conſeruarent puram, & ſemina huius ad poſteritatem propagarent, & cum bona conſcientia Deum inuocarent & colerent, quicquid eis accideret ab humana potentia, & aduerſariorum graſſationibus. Hi ſunt fundatores & maiores noſtri, quorum doctrinam & ſtudia nos huc vſque ſequimur, & hæc initia ſunt Eccleſiarum noſtrarum, quæ Fratrum nomen, ab illis primis aſſertorum veritatis in Bohemia temporibus ad ſe propagatum, hodie etiam retinent, neque ipſi ſibi ſuperſtitione aliqua, aut religionis oſtentatione vlla ſumſerunt aut impoſuerunt, cum per ſe quidem minime ſit inuidioſum, neque à profeßione Chriſtiana alienum,

quo & ante Chriſtianorum nomen Antiochicum, appellati fuere fideles, & Paulus hoc nomine compellat Eccleſias ſuas, publicè & priuatim, atque ipſum etiam S. Martyrem Huſſum fratrum nomine compellare ſolitum fuiſſe collegas & auditores ſuos, ex concionibus & Epiſtolis eius cognoſcitur. Hi anteceſſores noſtri, cum quantis periculis ſuis ad noſtra vſq; tempora doctrinam veritatis produxerint, non decet à nobis iactari verbis, Perpetuæ enim fuerunt Pontificiorum aduerſus nos molitiones hoſtiles, & Calixtinorum etiam minimè fraternæ, cum hi, originis etiam communis conſideratione, fraternam nobis fidem debeant, & fratres ſint noſtri ab antiquo.

Etſi autem, ſicut Chriſtianos homines facere par eſt, & Apoſtolus mandat, ſemper reddiderunt noſtri rationes fidei ſuæ omnibus, qui hoc ab ipſis poſtularunt, Certis tamen certorum temporum vrgentibus accuſationibus & inſimulationibus, Confeſſionem doctrinæ ſuæ aliquoties edere neceſſe habuerunt. Primum autem omnium, capitibus certis comprehenſam, Eccleſiæ noſtræ exhibuerunt M. Ioh. Rokyzanæ, & paulo poſt Regi Georgio, ante annos plures centũ, ſtatim inter initia ſua, cum admodum adhuc eſſent teneræ, & minimè quietis regni temporib. Sed cum poſtea, non longo interiecto tempore, è ciuitatibus regiis eiicerentur noſtri, iiſdem expulſoribus ſuis obtulerunt tum aliquanto luculentius ſcriptam Confeſſionem. Annis pluribus

poſt, Regi Ladiſlao ſecundo, rebus ita flagitantibus, duplicem Confeßionem exhibuerunt, vnam breuem Anno *Chriſti* M. D. IIII. *Et alteram copioſiorẽ, anno tertio poſt, id eſt Chriſti* M. D. VII. *quæ typis expreſſæ extant in lingua* Bohemica *noſtra & Latinè. Scripſerunt & Regi Ludouico Ladiſlai filio breuem Confeßionem, anno* M. D. XXIIII. *Tandem* VIII. *annis poſt, id eſt,* Anno *Chriſti* M. D. XXXII, *Cum illuſtrißimus & optimus* Princeps *Georgius Marchio Brandeburgenſis, etc. à* Generoſo Domino Conrado *Craieccenſi noſtro, de* Eccleſiis *noſtris doceri ſe cuperet: tum igitur primum à noſtris Germanicè aliquid editum eſt, (cum ante hoc tempus omnia noſtra ſcriberentur lingua vernacula* Bohemica, *pauca Latinè,) quod Confeßionis inſtar haberet, & mox anno proximo ſequenti, id eſt* M. D. XXXIII, *denuo* Vuitebergæ *excuſum eſt, etiam* D. *Luthero curante, poſtea anno Chriſti* M. D. LXVIII, *neſcimus vbi, rurſus in Germania, noſtris non procurantibus, recuſum fuit, cum titulo etiam ambitioſiore, quam qualibus noſtri vti ſolent.* Anno *tamen* M. D. XXXVIII, *auctum illud ſcriptum & recognitum, & in Latinam linguam conuerſum,* Vitebergæ *expreſſum eſt, cum indice* Apologiæ *veræ doctrinæ, eorum qui vulgo* Vualdenſes *appellantur, etc. Cui narratio de ſcripto illo & diuerſis editionibus eius copioſa eſt præpoſita.*

Cum

Cum autem ſub illa tempora iniuſtißimis criminationibus premerentur noſtræ Eccleſiæ *ab aduerſariis, adeo quidem vt de manifeſta vi periclitarentur, quæ à vulgo ipſis afferretur, & ad cædem etiã noſtram ſeditioſis vocibus incitarentur homines, octauam, vt antea ſemper, ita tum etiam, de capitibus iis tantum, de quibus potißimum controuerſia nobis eſt cum aduerſariis,* Confeßionem *hanc* Eccleſiarum *noſtrarum, reliquis pleniorem,* Bohemica Lingua *à noſtris conſcriptam,* Anno M. D. XXXV. *exhibuerunt* Regi *tum* Romanorum & Bohemiæ Ferdinando, *ij* Domini, *qui* Eccleſiis *noſtris coniuncti ſunt, & in ſua ditione locum nobis cõcedunt, qui* Rex *& accepit eam, & reſpõdit* Dominorum *noſtrorum legatis benignißimè, eaq́;* Confeßio *mox typis expreſſa* Bohemicè, *& paulo pòſt in linguam* Latinam *conuerſa, vt* Viteber*gæ typis exprimeretur, digna à ſchola &* Eccleſia *illa iudicata fuit, qua occaſione &* Magni *illius* Lutheri *elogio ornata eſt, quod præfationis loco ei addidit, & nunc etiam à nobis oſtentatur,* Etſi *noſtris* Eccleſiis *antiquior etiam cum* Luthero *intercedit neceßitudo, ad quem & ante illa tempora ex noſtris quoſdã ablegauimus, cum quibus colloquium habuit pium & fidele, et peramanter eos complexus fuit, atq; & de ſermonibus ipſius, nobis honorificis, referre, & literas eius ad noſtros ſcriptas proferre poſſumus, de quibus intelligatur, quo loco nos* Vir *ille habuerit, & quid de nobis ſenſerit.* Illud *autem elogium,*

quo tum Eccleſias *noſtras & Confeßionem harum ornauit, opponimus omnibus iis, ſi humanis iudiciis agendum eſt, qui autoritate nominis & ſcriptorũ ipſius quocunq; modo premere noſtros conati hactenus fuerunt, aut conabuntur deinceps. Ab eo enim iudicio, (quod nunc etiam huic Confeßioni noſtræ adiecimus,) non poteſt planum fieri poſtea diuerſum vnquã de noſtris eum ſcripſiſſe, id quod & à grauitate ſummi* Viri & Theologi *alienißimum eſſet. Quod ſi ante ea tempora, vt ex aduerſariis noſtris aliqui iactitant, aliter aut aliud de noſtris ſcripſit aut dixit, ſatis oſtendit illa poſtrema de noſtris lata ſententia ſua, ſe improbare quæ antea de nobis iudicia fecerit omnia, & errore feciſſe ſi quid fecit.* Neq; *enim dißimulare poſſumus,* Lutherũ *aliquando ea de* Eccleſiis *noſtris credidiſſe, & ſcriptis ſuis inſeruiſſe, quæ nequaquã ita ſe haberent, de quo &* Eccleſiæ *noſtræ cũ ipſo agere neceſſe habuerũt.* Sed *ita tum reſpõdit noſtris, vt quid factũ eſſet, agnoſceret et excuſaret, & ſe vulgi rumores ſecutũ diceret, ſuo tamẽ loco & tẽpore, ſicut & fecit, ea correcturum, quod lucul ẽtis teſtibus planũ facere poſſumus.*

Poſtea anno Chriſti M. D. L X I I I I. *à nobis repetita & recognita illa quam* Regi Ferdinando *exhibueramus, Confeßio noſtra fuit, & aliquanto plenior & exquiſitior* Bohemicè, *& mox in Linguam* Germanicam *à noſtris conuerſa, quam conuerſionem ad inclitipatris in* Imperio Germanico *&* Regno Bohemiæ *ſucceſſorem filium,* Imperato-

rem

rem Maximilianum II. Auguſt. attulimus, eidem hanc exhibentes, vna cum libro cantionum ſacrarum noſtrarum germanico, Cumq; in regno Poloniæ, multi etiam illuſtres Domini, noſtris Eccleſiis hoſpitia concedant, cauſæ ibi etiam allatæ ſunt, vt tum potentiſſimo Poloniæ Regi Sigiſmundo, hoc eodem exemplo, in Polonicam linguam conuerſo, noſtra hæc Confeſſio Vuarſauiæ, in conuentu regni exhiberetur. Hanc eandem editionem, Latina etiam lingua interpretandam curauimus, hoc modo, quo iam editur.

Hæc & obiter & breuiter ex commentariis noſtris, de Origine Eccleſiarum noſtrarum, & Confeſſionibus ab his editis, commemorare, & huic Latinæ editioni huius Confeſſionis noſtræ præfari, multis de cauſis neceſſe habuimus, & præcipue vt conſtet omnibus, qui hiſtorias noſtras ignorant, nos poſteritatem eſſe germanam, vel reliquias potius diſcipulorum Huſſi, & eius lucis, quæ illis temporibus exiſtere, maior quam à multis iam creditur, in doctrina Veritatis Chriſtianæ cœpit, propagatores eſſe, neq; temerè à nobis fieri, quod in magna copia bonorum ſcriptorum noſtram tamē Confeſſionem edimus, & hoc tempore recudimus. Scimus enim quod multi boni viri & veritatis Euangelicæ inſtauratæ cultores & ſectatores pij, ſeducti & indicationibus falſis & criminationibus aduerſariorum, pro Vualdenſibus nos habeāt: Vulgus autem, quod probrum tetrius multo eſt, pro Picardis nos

habeat, cum quidem qui ſint aut fuerint Picardi, *di cere non poßit.* Neq; *deſunt qui ne ab* Anabaptiſta*rum quidem hæreſi nos immunes eſſe ſuſpicentur.* Q*uidã etiam turbulentus autor adeo ignorari ori ginem* Eccleſiarũ *noſtrarum cenſet, vt ſuperioribus annis perſuadere noſtris conaretur, vt in* Italiam, *et neſcio quo, legatos noſtri mitterent, qui de origine ibi ſua inquirerent,* Cum *vt quærant de hac, minimè nobis opus ſit, & πληροφορίαν ſciẽtiæ in hac parte præſtent nobis annales noſtri, & libri noſtrorũ, editi lingua vernacula noſtra &* Latina. De Vualdenſibus *tamen, vt breuiter referamus, ſunt horum* Eccleſiæ *noſtris multò antiquiores, quæ nomen habent à* Vualdo *quodam, ciue* Lugdunenſi, *vt perhibent,* Vnde *& à loco pauperes* Lugdunenſes *nominati ſunt, qui diſperſas hinc inde in orbe* Chriſtiano Eccleſias *habuerunt, & nunc etiam habere alicubi dicuntur, ab annis iam trecentis, aut multo etiam pluribus.* Circa *initia autem* Eccleſiarum *noſtrarum, in vicinis* Bohemiæ *terris fuerunt* Vualdenſium Eccleſiæ *aliquæ,* Auſtria *inprimis &* Marchia, *ſed cùm oppreſſæ tyrannide* Pontificia *cõuentus publicos nullos haberent, neque ſcripta horum extarent vlla, ignotæ noſtris fuere prorſus.* Itaq; *cũ & ipſi ſe tunc noſtris indicarent, & ab aliis de his ad noſtros referretur, factum fuit, vt ſub initia illa, vt diximus, naſcẽtis* Eccleſiæ *noſtræ, legati ad* Vualdenſes *à noſtris in vicina loca mitterẽtur, qui de doctrina ipſorum quæ eſſet, cognoſcerent.*

Etſi autem quod ſuperſtitiones & corruptelas Pontificias iſti boni Viri fugerint, demonſtrat ſeceſſio ipſorum à Pontificiis, quorum ſubiectionibus & Vuiclefus excitatus atq; adiutus putatur, de doctrina tamen vniuerſa & profeſſione horum, referre nihil nobis ſumimus. Hoc quidem conſtat, multum in ipſis lucis fuiſſe, & de pleriſq; eos rectè ſenſiſſe & docuiſſe, & propter veritatem grauiſſima perpeſſos, in Gallia inprimis, neq; dubitamus antiquiſſimos hos veritatis Chriſtianæ à Pontificiis corruptelis vindices eſſe & aſſertores, quorum doctrina & exemplis excitati ſint poſtri. Sed hoc docere poſſumus, Cum noſtris illos Eccleſiis nunquam coaluiſſe, nèque noſtros vnquam cum his ſe coniungere voluiſſe, & duabus quidem de cauſis, ſicut in annalibus noſtris legimus: Primum enim offendebantur noſtri in Vualdenſibus, quod nulla publica extare vellent doctrinæ & fidei ſuæ teſtimonia, atq; ita occultare veritatem viderentur, & ſubter modio collocare lumen huius. Secundo, quod miſſa Pontificia, quam Idolatricam eſſe ſcirent & profiterentur, pacis tamen & tranquillitatis cauſa vterentur, atq; ita hac in parte cum Pontificiis colludentes, ſcandalo eſſent aliis. His enim duabus de cauſis non tantum non coniunxerunt ſe noſtri cum his, ſed cum conſcientia etiam bona ſe non poſſe hoc facere ſemper iudicarunt, ideoq; & in cætera horum vt inquirerent, non habuerunt neceſſe, neq; nunc etiam qualia ſint quicquam noſtra refert, ſed

Deo rem permittimus, neq; quæ ignoramus ſuſpe-cta facere, multo minus vllis præiudiciis noſtris grauare illas Eccleſias *poſſumus aut debemus.* Non *dubitamus autem quæ bona & vera in* Eccleſiis *horum deprehenderunt, noſtros eos inde aſſumſiſſe, & in ſuas tranſtuliſſe, ſicut hoc vnum ſtudium noſtrorum ſemper fuit, & nunc eſt, veritatem inquirere & colere, vt hoc nomine etiam gratia aliqua à nobis* Eccleſiis *illis debeatur, præſertim cum* Vuiclefus *à* Vualdenſibus *adiutus dicatur, qui* Huſſum *noſtrum excitauit.* Timidiores *tamen iſti boni* Viri *tum, aut nimis ſaltem cauti fuiſſe videntur.*

Picardorum *autem nomen, quo noſtri infamantur, quale ſit, aut vnde, vix ſuſpicando colligere poſſumus, & ſunt diuerſæ diuerſorum cõiecturæ. Aliqui* Picardiam Galliæ *habuiſſe eos perhibent, qui* Adamitæ *vocabantur, inde, vt apparet, quod contra conſtitutionem coniugij diuinam impiè & flagitioſè congreſſus vſurparent promiſcuos, ex verbo benedictionis diuinæ, factæ primis parentibus,* Creſcite *& multiplicamini.* Aliqui Beghardũ *quendam talem nominãt, & ſectatores eius* Beghardos, *eoq; nomine* Rokyzanæ *temporibus nominari cœpiſſe à* Pontificiis *religioſiores inter* Calixtinos, *cum antea qui à* Pontificiis Huſsi *temporibus ſeceſſiſſent,* Vuiclefitæ, *& poſt* Huſſum Huſsitæ, *ab externis autem & domeſticis, gentis nomine,* Bohemi *cognominarentur, poſtea extinctis* Taboritis *cum aliud*

aliud nomen nouæ, vt ipſi iudicabāt, ſectæ non ſup peteret, Vulgus, ex Beghardis, corrupto nomine, Picardos fecit, & noſtris Eccleſiis per contumeliam, & odio veritatis, impoſuit, cui occaſionē præbuiſſe videntur nocturni & occulti conuentus Eccleſiaſtici noſtrorum, quando à vi aduerſariorum diurni & manifeſti atq; publici nulli concedebantur, ſicut & hodie nimis multis in locis noſtris accidit, quod & in prima Eccleſia Chriſtiani, metu Tyrannorum, facere neceſſe habuerūt, vnde & adhuc maxima ex parte cereorum vſus, ſuperſtitioſus ille & diurnus, in Eccleſias Pontificias invectus eſſe videtur, etſi occaſiones & exempla hunc habere alia etiam non ignoramus. Alij antiquius etiam Huſſo Picardorum nomen docent, ex ſcriptis Bohemorum veterum noſtrorum, & inprimis Mathiæ Pariſienſis, qui in Collegio Canonicorum Pragæ claruit, circiter annum Chriſti M. C C C. X C. illis igitur etiam temporibus à vulgo Picardos appellatos, qui in religione ab aliis in peculiarem ſectam ſecederent. Quod ſi eſt à Beghardo factum, nimirum hunc vnum hæreticum tum nouit ibi vulgus, ſiue Adamita hic, ſiue alius ſectæ fuerit, nihil enim refert in præſentia. Sed qualiacunque hæc nomina ſint, aut vndecunque extiterint, aut in noſtris Eccleſiis cœperint, hoc quidem manifeſtum, odio veritatis & in contumeliam Chriſti, cuius doctrinam profitemur, & docemus, cuiúſque vnius ſectam ſequimur, in nos conficta eſſe, & prædixit Chriſtus

ſuis, futurum vt propter nomen ipſius contumeliis afficiantur. Quod ſi vero argumenta aut teſtimonia nulla ſuppeterent alia, hæc præſens Confeßio et profeßio, de omnibus capitibus doctrinæ noſtræ, calumnias omnes has & alias, luculente refutaret, in quibus tamen bonos hactenus viros quoſdam, ſed nimis in re incognita et inexplorata ad credendum faciles, hærere audimus, cum eadem opera & Turcos & Iudæos nos appellare poßint, ſi qui conuiciis delectantur, quem tamen morem Eccleſia Chriſti non habet. Ad Confeßionem autem noſtram quod attinet, non poſſumus aliter facere, quam vt in tantis accuſationibus, inſimulationibus, criminationibus, & calumniis hoſtium noſtrorum, doctrinam eam, quam Eccleſiæ noſtræ docent & profitentur iam ab annis pluribus centum, omnibus qui cognoſcere voluerint, publicè ad legendum proponamus. Nam etſi non tam ſumus nullo iudicio præditi, vt non intelligamus Germanica & Latina lingua extare multò doctiora, diſertiora atq; copioſiora in hoc genere ſcripta, Nobis tamẽ nõ quid alij ſcribãt, aut ſcripſerint, aut deinceps etiam ſcripturi ſint, videndũ, ſed quid noſtri cõtinenter iam ab annis centum docuerint, demonſtrandũ. Quod cũ multis de cauſis ſuperiorib. tẽporib. ad domeſticos & populares, gentẽq; noſtrã, vernacula lingua facere neceſſe habuerimus, quib. & ſumma doctrinæ aliqua præſcribẽda fuit, poſtea, & nũc quidẽ inprimis, ad exteros, qui neq; vernaculam noſtram neq; Germanicã lin-

Linguam intelligunt, hoc facere nos oportuit, præſertim cum multi etiam à nobis hoc flagitarent; quod Latina exempla nulla prorſus ab annis iam multis, Germanica autem perpauca extent. Quod aliæ autem Eccleſiæ facere conſueuerunt, vt certis occaſionibus repetant Confeſsiones ſuas, id cur nos in præſentia faciamus, cauſas habemus non minores, quam habuerunt hactenus aliæ. Quæcunq; autem aut qualiacunq; hæc noſtra iudicentur à legentibus, hoc affirmare poſſumus, & demõſtrare vernaculis ſcriptis noſtrorum, quorum & quædam typis apud nos expreſſa ſunt, eam doctrinam, quæ in hac Confeſsione noſtra exponitur, in noſtris Eccleſiis ſonare iam annos, vt dictum eſt, plures centum, & à Taboritis etiam pleraq; eodem modo aliquando tradita & explicata fuiſſe, quos viros doctos & antiquitatis peritos fuiſſe, oſtendunt ſcripta ipſorum, quæ apud nos extant non pauca. Cum autem ab eorum ſcriptis, quæ poſt illa tempora, & his noſtris, à Viris piis & ſanctis edita ſunt, iuuari aut doceri maiores noſtri non potuerunt, tanto magis & ignoſcendum ipſis, ſi alicubi non præſtiterunt id, quod à doctrina & eruditione inſtructiores alij Eccleſiæ Chriſti poſtea præſtiterunt, & agnoſcendum hoc, quod eandem doctrinam veritatis Chriſtianæ, tam longo tempore, antequam noſtro hoc aliæ gentes idem agerent, & his eadem illuceſcerent, noſtræ Eccleſiæ tenuerint & conſeruarint, & in his communibus omnium orthodoxorum ſpaciis, cum con-

timentibus periculis & calamitatibus ſuis, etiam cũ multi ſanguinis profuſione maiores noſtri decurrerint, Quicquid tamen à nobis & anteceſſoribus noſtris, terræ Bohemiæ, *aut exteris etiam aliquibus, præſtitum eſt, id* Dominus *præſtitit, non nos, cuius virtus in imbecillitate perficitur.* Res *autem oſtendit, vnum & idem fundamentum à nobis teneri cum* Saxonicis, *Auguſtanam* Confeßionem *profitentibus, & orthodoxis* Eccleſiis *omnibus, qui poſt noſtros maiores in ſuis quoque terris* Veritatem Chriſtianam *inſtaurarunt,* Et, *quod nobis gratulamur, noſtram doctrinam cum ipſorum conuenire, neque contemni noſtra ab eruditione ipſorum, quæ noſtris hactenus defuit,* Etſi *veritas vnum quiddam & quaſi punctum eſt, in qua omnes* Chriſti *fideles omnibus temporibus cõuenire, & vnum eſſe neceſſe eſt,* Sicut *&* Auguſtanam Confeßionem *& repetitionem huius, quæ* Saxonicarum Eccleſiarum *nomine, concilio* Tridentino *oppoſita eſt, noſtræ* Eccleſiæ *recipiunt, & idem nos ſentire & credere ſingulos & vniuerſos profitemur, & quæ ab his recedunt, omnibusq́; hæreticis & ſchiſmaticis dogmatibus & opinionibus alieniſsimos eſſe, quod & hic libellus noſter demonſtrat, in quo, & cuius ſententiæ verbis, & quo ordine à noſtris omnia tradantur, perſcriptum eſt.* Et *ne eſſet vlla in doctrina veritatis cum repurgatis* Eccleſiis *diſcrepantia, colloquiis habitis cum* D. Martino Luthero, *aliiſq́; piis* Theologis, Vuitebergæ *& alibi, piè placi-*

placideq; contulimus, & ſanctam concordiam in Chriſto cum ipſis iniuimus, quam & hactenus con ſtanter tuemur, & tuebimur deinceps, Deo iuuante, omni tempore. Quod ſi qua non prorſus verbis conueniunt cum aliorum doctrinæ formulis, eo nemo pius aut intelligens Chriſtianus offendetur, aut offendi debebit, ſiquidem in fundamento cõuenimus. Inprimis tamen offendi quoſdam audimus, eo quod noſtri paſtores aliqui, vel ipſi, vel familiæ horum, opificia exercent officinarum certarum, & quod pleriq; cœlibes ſint, Item quod in diſciplina, & gubernanda vita moribusq; noſtrorum, ſeueriorem, atq;, vt aliqui autumant, ſuperuacaneam etiam operam ponere videamur. Qui vero hæc noſtra legent, non poterunt à nobis apologiam expectare, quam & nullam commentamur in præſentia, Ita enim exponitur de his omnibus capitibus doctri na noſtra, vt ipſa per ſeſe calumnias aduerſariorũ noſtrorum refutent, Miniſtris quidem noſtris opta remus eam felicitatem, vt ſe & ſuos abſq; illis admi niculis operarum honeſtarum alere poſſent, Ita enim plus temporis ſaltem ad ſtudia ſua ipſis ſuppeteret, & occaſio maior eſſet inſtruendi noſtros doctrina & eruditione neceſſaria, Non enim ſuperſtitioſe certè, vel dementer potius, manibus opus facere mãdamus noſtros, quod niſi hoc faciant, peccare eos iudicemus, ſicut de quodã memorari audimus, qui ex Sacerdote agricola factus fuerit, quod ſcriptũ eſſe diceret; In ſudore vultus comedes panẽ tuũ,

Ad eum modum, Chriſto gratia, non eſt paſſus labi noſtros Dominus, ſed pleriq; ex noſtris neceßitate eò adiguntur, vt opus faciant, & honeſtæ officinæ operas exerceant, ne eſuriant, cum ſtipendia certa nulla habeant, quibus ſe & ſuos alant.

Cœlibatus autem exercitia apud nos aliqua eſſe malumus, quam nulla, ne Iouinianam coniugij neceßitatem introducere aut ſtabilire videamur. Diſciplinæ verò ſanctæ curam, & vt doctrinæ profeſſioniq; Chriſtianæ vita ac mores reſpondeant, ſi quis ſuperuacaneum iudicat, is oſtendit ſe doctrinā Chriſtianam neq; tenere, neq; intelligere, cum pietatis, quæ intus in corde eſt, in veritate fidei, profeßio fiat per bona opera, ſecundum Apoſtolum. Niſi autem Eccleſiaſtica diſciplina vſurpetur ea quam Deus inſtituit, politica etiā eſſe nulla poteſt. Etſi ſanè hac in parte inclementer exercentur noſtræ Eccleſiæ ab iis, qui hæc intelligunt, & in propagatione veritatis Chriſtianæ, quam nobiſcū profitentur, coniunctißimi nobis eſſe debebant. Qui ſi exemplis etiam mouerētur, dicere poſſemus, quam diſciplinæ hoc ſtudiū, Luthero & Philippo in noſtris probatum fuerit, atq; optare meminimus Lutherum, in ipſorum Eccleſiis ſimilem inſtitui poſſe, & accuſare mores & tempora, quæ hanc apud ipſos excuterent. Ab hac igitur ſi ſecederemus, proderemus fidem Chriſtianam & maiores noſtros, Et ſcriptum reliquit ex preſbyteris noſtris quidam, ante annos LX. non à perſecutione periculum

culum eſſe Eccleſiis *noſtris, ſed tum has ruituras, ſi obſequentes aliis, & in abuſu libertatis Chriſtianæ, de diſciplina remitterent, & vitam inter ipſos diſſolutam permitterent.* Neq; *diſsimulare poſſumus aut debemus, nos non acquieſcendum iudicare in doctrinæ veræ ſola profeßione, ſed hanc alteram etiã partem diſciplinæ à nobis poſtulari, & hanc qui negligũt, & peccata mortalia in moribus, atq; impunita in* Eccleſia *&* Curia *eſſe patiuntur, cum iis quod coniungere nos non poßimus.* Nam *etiamſi verbis vnam & eandem doctrinam cum iis profiteamur, res tamen nos diſcriminat: qui enim doctrinam, quam profitemur, veram eſſe credunt, diſciplinam etiam, quam hæc complectitur, non poſſunt negligere: vbi etiam diſciplina nulla eſt, ibi* Eccleſia *an aliqua eſſe poßit, quærat qui dubitat. Sed vt dictum eſt, non inſtituimus* Apologiam *in præſentia, neq; facile vſurpare has ſolent noſtri, aut his indulgere, contenti bonitate cauſæ, & conſcientia pij ſtudij.*

Vt iterum igitur atq; iterum dicamus, nulla alia de cauſa hanc Confeßionem *noſtram edimus, quam vt hoc modo demonſtretur, iniuriam nobis facere omnes, qui aliud, quam quod in hoc libello perſcriptum eſt, nos ſentire, credere & viuendo ſequi, vel ſuſpicati ſunt, aut perſuaſi fuere aliquando, vel adhuc etiam ſuſpicantur aut perſuaderi ſibi ſinunt.* Nam Apologias *texere non libenter ſolemus, & nulla eſſe poteſt ad pios & bonos in hoc genere*

efficacior apologia, quam fidei ſuæ rationem reddere, Qui vero non ſunt tales, eis nulla apologia ſatisfacere, aut conciliare eos nobis poteſt.

Atque vt concludamus procœmium noſtrum, hoc vnum iam inde ab initiis ſuis agunt Eccleſiæ noſtræ, vt verbum Dei rectè diſcant & doceant, vitamq; Chriſti ſequantur, & corruptelas impietatemq; omnem fugiant & refutent. In quo ſtudio iuuari nos par fuerit ab omnibus, qui idem agunt, id eſt, piis ſingulis, & communitatibus horum vniuerſis, quorum beneuolentiam, opem & operam in præſentia nobis expetimus, Etiam propter gentem noſtram, quæ non malè eſt de veritatis Euangelicæ inſtauratione merita, neque ante hæc tempora ex Europæis aliqua plus ſanguinis ei impendit, ſed hoc tempore vicit noſtros Gallica natio. Itaque humaniter accipi, & benignè ab omnibus, in quorum manus venerint, hæc noſtra cognoſci petimus, & hinc potius, quam ex aduerſariorum aut vulgi ſermonibus, aut hiſtoricorum etiam quorundam, & aliorum minimè veracibus ſcriptis, de rebus noſtris ſtatuere.

Volumus autem hanc Confeßionem eſſe documentum ad omnes, fidei noſtræ, quam à maioribus noſtris accepimus, & hactenus profitemur, Et ſi qua obſcurius minúſve commode aut perperam etiam, vel ab ipſis olim, vel à nobis ante hoc tempus, expoſita ſunt, ea hoc ſcripto correcta, &

ſecun-

ſecundum hoc corrigi & intelligi volumus. Deum oramus vt in hac fide nos conſeruet, cum veram eſſe & orthodoxam, quam omnibus temporibus Eccleſia Chriſti profeſſa eſt, non dubitemus, id quod & piorum omnium, qui hæc legent, iudiciis permittimus.

Perſcriptum D. X. *Decembr. Anno* IESV *Chriſti* M. D. LXXII.

Seniores & Miniſtri Eccleſiæ Fratrum, puram doctrinam Euangelij per Bohemiam, Morauiam & Poloniam docentes.

PROOEMIVM D. D. BARONVM ET EX NObilitate in Regno Bohemiæ eorum qui ſunt ex Communitate Orthodoxorum fratrum.

CUm hoc tempore eiuſmodi rumores de nobis ſparſi ſint, vt qui populo cuidam in erroribus verſanti, et qui à veritate defecerit, aſſentiamur, eiusq́ errores ſectemur, defendamus, aſſeclasq́ huius promoueamus, etiamſi nequaquam metuimus, ne forte hoc aliquis de nobis planum facere, aut nos talis facinoris conuincere poßit, par tamen eſſe cenſuimus, vt aduerſus inclementem inſimulationem talem, reſponſionem noſtram ad nos defendendum ederemus. Etſi autem libenter libereq́ confitemur, quod cum eius populi cœtu nos coniunxerimus, qui vulgo Fratres, ab aduerſariis autem per cō

tem-

ſemptum Picardi; ab aliis vero per igno rantiam Vualdenſes nominantur, publicè tamen in præſentia teſtamur corã Deo, per animas noſtras, quod non cum ſectarum à veritate aberrantium ſpiritibus, ſed cum eiuſmodi hominibus nos coniunxerimus, quos certò, re & veritate, atq; vſu ipſo comperimus, quod ſe prorſus piè, ſicut Chriſtianos decet, benéq; gerant, vitam degentes incorruptam, in omni ſimplicitate & integritate, doctrinamq; & religionem per omnia, quæ conſentanea ſit ſancto Chriſti Euãgelio, ſecundumq; communem ſymboli Apoſtolici ſententiam, duodecim capitibus comprehenſam, ſincerè & fideliter, fundamentisq; his nitentem vſurpent.

Cum igitur verbum Dei ex ipſis hactenus audiuerimus, hoc modo etiam, quantum per gratiam ſuam Deus no-

bis conceßit, veritatem eam quæ ſalutẽ nobis conferre poteſt, didicimus, & per fidem accepimus, tandemq́ in hac ipſos veros fructus ſalutis æternæ animarum noſtrarum in corde, percipiendo ſenſimus. Prorſus itaq; in ea ſumus ſententia (ſicut & verbum Dei, quod eſt vera illa explorationis coticula, noſtraq́ propria conſcientia, coram Deo hoc teſtantur) quod non tantum nullis ſint erroribus implicati, aut hæretici homines, ſed veri miniſtri Chriſti, veraq́ membra ſanctæ Chriſtianæ Eccleſiæ, cum qualibus decet nos ſanctam coniunctionem colere, & eos audire, ſicut communis fides Chriſtiana poſtulat, in cuius formula profitemur his verbis: Credo ſanctam Eccleſiam, communionem ſanctorum.

Quod ſi iam his omnibus poſthabitis, pro hæreticis haberi deberemus, hac ſola

ſola de cauſa, quod tam pij Chriſtianiq́ populi cœtum, ad quem cōceſſimus, aduerſarij hæreticum crimināatur, etiam S. Paulum nihilominus, quam nos, vna cum multis aliis, pro hæretico haberi oporteret, qui ſe eius ſectæ eſſe profitebatur, quæ illo tempore peſtilens, nocens et ſeditioſa ſecta dicebatur, quando Cæſareæ ad Felicem præſidem Cæſaris ita loquebatur: Hoc vero tibi profiteor, quod ſecundum eam viam, quam ſectam vocant, ita ſeruiam Deo patrio, vt credā omnibus quæ ſcripta ſunt in Lege & Prophetis. Quibus etiam de cauſis, de iis rebus, quas tantum ſalutis noſtræ cauſa recepimus, & quas res nos & populum communiter docent Eccleſiarū noſtrarū Miniſtri, & ſecundum quæ, vniuerſa communitas noſtra actiones ſuas inſtituit & gubernat, de his igitur rebus, hac de cauſa, Maieſtati Regiæ,

Domino noſtro clementiſſimo, rationẽ reddidimus, fideiq; noſtræ confeſſionem edidimus, et poſtea typis eam exprimen dam curauimus, quo nõ tantum Regiæ Maieſtati, ſed in vniuerſum omnibus hoc notum fieret, neq; nos, neq; communitatem noſtram, in vlla à veritate abducente doctrina, hærere, neq; infideles aut contumaces hæreticos eſſe, ſed quod, Dei beneficio, veri & ſinceri Chriſtiani ſimus, qui Catholicam fidem Chriſtianam & diuinæ ſcripturæ ſacra Biblia, & perfectiſſimam intimisq; fundamentis nitentem doctrinam Chriſtianam, fideliſſimè, vt normam veritatis, ſequendo teneamus: id quod & omnes, qui hanc ſimplicem & breuem Confeſſionem lecturi ſunt, facilè & planè animaduertere poterunt.

Sum-

SVMMA RELIGIONIS ET DOCTRINAE Chriſtianæ, quæ ab iis, qui apud nos in miniſterio docent, & Sacerdotibus noſtris, in celeberrimo regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ, atq; alibi etiam, conſentientibus omniũ mentibus, ab antiquo proponitur, Primùm Romanæ Regiæ Maieſtati, poſtea omnibus piis & veris Chriſtianis, integerrimè ſimpliciſsimeq́; ſequentibus capitibus comprehenſa & oblata.

SERENISSIME, potentiſſime Romanorum, Vngariæ & Bohemiæ Rex, clementiſsime Domine, etc.

Cum ſæpe ſubiectiſsimè petiuerimus, vt de noſtra Euangelica doctrina coram regia Maieſtate veſtra, benignè legitimeq; cognoſceretur, & ad talem cognitionem hæc admitteretur: neq; tamen hactenus hoc factum ſit: magnis magniq; momenti cauſis moti ſumus, ad fidei noſtræ Confeſsionem ſcripto comprehendendam, veſtræq; Regiæ Maieſtati

offerendam. Et quanquam cõcionatores & animarum curatores noſtri, rationes & apologias fidei, & miniſterij Eccleſiaſtici, & doctrinæ ſuæ, multiplicibus modis ediderunt, ſuperiorum temporum laudatiſs. maioribus, Regibus, Principibus, Dominis, & in vniuerſum omnibus tam Eccleſiaſticis quam Politici ſtatus ordinibus, qui hoc ab ipſis poſtularunt, faciendum tamen cenſuimus, vt veſtræ R. Maieſt. ſecundum infra ſcripta capita, quæ noſtro tempore, & communiſſima, & maximè controuerſa capita habentur, eius doctrinæ, quam ab ipſis accepimus, hanc Confeſſionem quam breuiſsimè ederemus, vt notũ fiat omnibus, ea quorum aduerſarij noſtri apud veſtram Maieſtatem, huius doctrinæ cauſa, nos inſimulant, & quibus eam ad nos opprimendos irritãt, falſa eſſe, nulliſq; iuſtis de cauſis fieri.

Eſt igitur hæc, Sereniſs. Rex, benigniſs. Domine, ſubiectiſsima petitio noſtra, vt acquieſcat ſibi tantum

tem-

temporis & ocij ſumere, quo hanc Confeſſionem noſtram legat, et vero iudicio ita cognoſcat, vt gloria Dei promoueatur.

PRAECIPVA CAPITA, SECVNDVM QVAE V. R. M. Confeſſio fidei noſtræ offertur, Clementiſſime Rex, hæc ſunt:

I. *De Sacra ſcriptura & ſcriptoribus Eccleſiaſticis.*

II. *De Catecheſi Chriſtiana.*

III. *De Vnitate diuinæ eſſentiæ, & tribus perſonis.*

IIII. *De agnitione ſui, Item De peccato, cauſis & fructibus huius & de promiſſionibus diuinis.*

V. *De Pœnitentia.*

VI. *De Chriſto Domino & de Iuſtificatione per fidem in ipſum.*

VII. *De bonis operibus, quæ ſunt piæ actiones.*

VIII. *De ſancta Catholica Eccleſia, ordi-*

ne & diſciplina huius, atque inſuper de Antichriſto.
IX. De Miniſtris Eccleſiæ.
X. De verbo Dei.
XI. De Sacramentis in genere.
XII. De Sacro Baptiſmo.
XIII. De Cœna Domini.
XIIII. De clauibus Chriſti.
XV. De rebus acceſſoriis, id eſt, ritibus ſeu Ceremoniis Eccleſiaſticis.
XVI. De Magiſtratu politico ſeu ciuili.
XVII. De Sanctis & cultu horum.
XVIII. De Ieiunio.
XIX. De Cœlibatu & coniugio, ſeu Coniugum ordine.
XX. De Tempore Gratiæ.

CA-

CAPVT PRIMVM.

De Scriptura ſacra.

INITIO docent miniſtri Eccleſiarum noſtrarũ, vno conſenſu, de ſacra Scriptura veteris & noui teſtamenti, (quæ Biblia nominari ſolent, & à Patribus orthodoxis legitimè recepta eſt, & approbata) quod vera, certa, & fide digna ſit, cui nulla alia humana ſcripta, quæcunque aut qualiacunq; ſint, æquiparari poſſint, ſed vt humana ſcripta illa diuinæ ſcripturæ quòd cedere oporteat. Et primũ hac de cauſa, quòd à Sancto ſpiritu inſpirata atq; ſuggeſta, & per os ſanctorũ hominum prolata, ab iiſdem conſcripta, & teſtimoniis cœleſtibus et diuinis confirmata eſt, Qui Spiritus, & ipſe ſententiam, quomodoq; intelligi debeat, & veritatem ſcripturæ huius, in Eccleſia, eo modo quo ipſi placet, aperit & patefacit, in primis fideles miniſtros, qui ſint organa electa ipſius, excitando & donando. De quo

2.Sam.22. Dauid dicit, cum inquit: Spiritus Domini locutus eſt per me, & eloquium
2.Pet.1. eius fuit in lingua mea. Et Petrus: Nō enim ab hominis arbitrio prolata olim prophetia extitit; ſed à Spiritu ſancto agitati ſancti Dei homines
2.Tim.3. eam prolocuti ſunt. Et Paulus: Tota
Rom.15. ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt, etc. Preterea Dominus ipſe dicit, ſcru
Iohan.5. tamini ſcripturas. Et rurſus, vos erra-
Matt.22. tis, ignorantes ſcripturam, neque po
Luc.24. tentiam Dei intelligitis. Et, aperuit mentes diſcipulorum, vt intelligerēt ſcripturam.

Secundo loco ideo, quod verum & certum teſtimonium eſt, et liquida probatio, propitiæ voluntatis Dei, quam de ſe patefecit, ſine qua ſcriptu
Hebr.11. ræ patefactione, nulla cognitio ſalutaris, neq; fides, neque acceſſio eſt ad Deum, In hac enim quæ ad doctrinā & ſanctæ Eccleſiæ diſciplinam & gubernationē, ad ſingulos & vniuerſos in ordinario ſalutis miniſterio (vnde & vera fides exiſtit) neceſſaria ſunt, ea igitur omnia plene omnino, & quan-

quantum opus eſt, vt in eximio artifi
cioſiſſimóq; Sancti ſpiritus opere, in
hac cõprehenſa ſunt & concluſa, qua
nec Angelus de cœlo vllus proferre Gal. 2.
aliquid certius poteſt, & ſi afferret di
uerſum aliquid, credi ei non deberet.

Hęc vero de ſacra ſcriptura perſua-
ſio et fides, quod nimirũ à Deo ſugge
ſta ſit & inſpirata, initiũ eſt & funda-
mẽtum Chriſtianiſmi noſtri, qui à ver
bo extrinſecus, ſicut à re intermedia,
ad hoc diuinitus ordinata, incipit.

Quare vnuſquiſq; diuina ſanctorũ
Prophetarum & Apoſtolorum ſcri-
pta maximi facere, eiſq; in omnibus
fidem prorſus habere, religióſéq; aſ-
ſentiri, diligenter ea legere, ſalutarem
doctrinam ex his aſſumere, & ſecun-
dum hæc ſe inſtituere & dirigere de-
bet, & in primis ij, qui ſanctæ Eccle-
ſiæ Dei præpoſiti ſunt.

Quibus de cauſis in noſtris Eccle-
ſiis & conuentibus, hæc ſacra ſcriptu
ra auditoribus communi vernacula
lingua, quam vniuerſi intelligunt, re-
citatur, atq; inprimis, & quidem de

veteri inſtituto Eccleſiaſtico, particu læ illæ ſcripturarum Euangelicarum, quæ ſtatis feriarum diebus ex Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis legi ſolent, & vulgo Euãgelia & Epiſtolæ nominantur, è quibus vtiles & ſalutares doctrinæ & commonefactiones atq; conciones ad populum habentur, pro vt quoquo tempore res ferre & neceſsitas poſtulare iudicatur.

Scripta vero ſanctorum Doctorum, veterum præſertim, etiam ipſa pro veris & vtilibus habẽda, & quorum ad inſtituendum populum vſus eſſe poſſit, docetur, ſed in iis tantum, in quibus cum Sacra ſcriptura cõſentiunt, aut huic non ſunt contrarij doctores illi, & quatenus primi operis artificio, inſtitutioni & exẽplo, quod eſt ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ, teſtimonium præſtant, & de concordi cõſenſu & ſententia decretisq; veteris Eccleſiæ, (ſicut ea in veritate pura perſtitit,) non recedunt, Quomodo & ipſi de ſuis ſcriptis iudicari ſenti-

riq;

ricꝫ mandarunt, & monuerunt vt caueretur, ne cum homines eſſent, nimis eis tribueretur. De quo D. Auguſtinus ita verba facit: Noli meis literis quaſi ſcripturis canonicis, deſeruire, ſed in his & quæ non credebas cum inueneris, incunctanter crede, in illis autem quod certum non habebas, niſi certũ intellexeris, noli firmiter retinere. Et alibi dicit: Noli meis neqꝫ Ambroſij verbis peræquè credere vt ſcripturæ canonicæ. *In proœmio in tertium librum de ſancta Trinitate.*

Hæc iuſta in diſcriminãdis illis ſententia, etiam pontificiis admodum, atqꝫ ita placuit, vt in Decreto eam citauerint Diſt. 9. cap. Noli meis verbis, etc.

CAPVT II.

De Catecheſi.

POſtea docetur ſecũdo loco Chriſtiana Catecheſis, id eſt, conſentiens in Chriſtianiſmo vetus Eccleſię ſanctorumqꝫ patrum Catholica doctrina, & quæ ore fit inſtitutio, quod

eſt intimum, & medulla atq; clauis totius ſanctæ ſcripturæ, & ſummam huius continet, Hæc comprehenditur
1 in Decalogo, in Catholico Chriſtiano & Apoſtolico illo duodecim ca-
2 pitum ſymbolo: quod explicatur & cõfirmatur Niceno, Athanaſiiq; ſymbolo, & piis Catholicis atq; œcume-
3 nicis Conciliis: item in formula precum ſacræ Dominicæ orationis, in
4 ſummaria doctrina de Sacramentis,
5 & officiis debitis atq; propriis, loci & ordinis vniuſcuiuſq; in diuerſis & diſtinctis vitæ generibus, ad quæ diuinitus vocatur, apertáq; fit cõfeſſio & profeſſio, quod hæc Chriſtiana doctrina ſit ipſa vera, plena, perfecta beneplacitiq; voluntas Dei vnicuiq; fideli Chriſtiano ad ſalutẽ neceſſaria.

Hanc Catecheſin, quæ ſupra indicatam plenam & Catholicã Chriſtianiſmi doctrinam & maximarum rerum ſcientiam in ſe complectitur, noſtri concionatores pro certa norma, methodo, & indice habent omnium quæ docent, & concionum atq; ſcriptio-

ptionum ſuarum omnium, & hoc cu rant fideliter, omnem operam ſuam in hoc impendentes, vt hæc tota initiorum veræ fidei & pietatis Chriſtianæ ordinaria & fundamēti doctrina, in Chriſtianorum intimis cordibus informetur, & in auditorum mentes & vitam penitus inſeratur, Nimirum hoc quodammodo, Primum vt vniuerſi ſe ad internam & externam obedientiam præſtandam legi obligari agnoſcant atq; mandata Dei, & corde, cum lex ſpiritualis ſit, & factis, præſtare & perficere ſtudeant, Deum ſuper omnia diligēdo, & proximum vt ſeipſos.

Secundo vt capita Catholici Chriſtiani & Apoſtolici ſymboli recte teneant, & expedite recitare ſciant, eáque ex corde credant & ſeruent, oréq; profiteantur, & Chriſtianam pietatem decentibus actionibus ſeu moribus & vita teſtentur, Quapropter & in concionibus ſuis veram ſanámq; ſententiam, & quod myſterium, ad veram æternámque ſalutem

neceſſarium, in hoc Symbolo fidei, & quolibet capite huius, peculiariter cōprehenſum ſit, explicando aperiunt, ſacrarumq; literarum teſtimoniis confirmant, & per has ipſas literas ſacras, ſententiam & myſteria illa, vel verboſius vel contractius declarant, explicant & enarrant.

Atq; in his omnibus ita verſantur, vt de inſtituto à ſanctis Apoſtolis introducto atq; propoſito, non tantum adultos, qui ad iuſtam ætatem proue cti, ad intelligendi facultatē iam peruenerunt, ſed etiam paruos pueros hoc modo inſtituāt, quò ſtatim à pueritia in præcipuis capitibus fœderis diuini exercitati, verum cultum Dei, diſcendo comprehendant.

Hac de cauſſa & peculiares cum pueris cōuentus Eccleſiaſtici habentur, qui ſint exercitia Catechiſmi, & parentes, quiq; baptiſmi teſtes à parentibus corrogantur atq; adhibentur, & græcè ἀνάδοχοι, in aliis linguis eiuſmodi verbo nominantur, quod compatres ſeu comparentes ſignificat,

cat, hi igitur vtriq; de munere & fide ab ipſis debita monentur, vt ipſi etiã dilectos pueros ſuos fideliter inſtituant, in diſciplina Domini educent, proq; his & omnibus aliis aliorum Chriſti fidelium liberis, intimi cordis precibus ſuis apud Deum intercedant. Inprimis autem Catechumeni antequam ad Cœnam Domini legitimè admittantur, diligenter in Catecheſi Chriſtiana, & initiis veræ religionis inſtituuntur, & hoc modo ad ſalutarem pœnitentiam, ad virtutem efficacitatemq; fidei conciliandam, eis inſeruitur, Poſtea & omnes cæteri inſtituuntur, vt ſimul vniuerſi agnitione Dei & ſcientia ſanctorum illuſtrati quiſq; loco ſuo, inq; eo ordine, ad quem diuinitus vocatus eſt, cum omni honeſtate & pietate verſetur ſeu ambulet, & hoc modo nomẽ Dei ſanctificent, purámq; doctrinam ornent.

Epheſ. 6. *Coloſſ. 3.*

Tertio in Catecheſi hac docentur vnum verum Deum cum firma fiducia, in nomine Domini IESV Chri-

ſti, inuocare & orare, & non pro ſe ipſis tantum & priuatis rebus ſuis preces facere, ſed pro tota Eccleſia Chriſtiana, in omnibus terris, pro miniſtris Eccleſiæ, etiam pro politico & à Deo conſtituto magiſtratu, inprimis autem pro Cæſarea atque etiam pro Regia veſtra Maieſtate, pro illuſtriſſimis liberis huius, poſteritate tota, Conſiliariis, & ditioni eius ſubiectis, orantes vt benignus Deus veſtrę Regiæ & illius Cæſareæ Maieſtati diuturnam & omnibus bonis cumulatã felicémq; gubernationem concedere & largiri velit, atq; ſimul animum affectionémq; cordis benignã, propenſam & paternam erga omnes rectè ſe gerentes, benè affectos, & ſubiectè parentes, fideléſq; ſubditos, & amantes veréq; adorantes Deum patrem & filium huius IESVM Chriſtum, Atq; in ſumma docetur vt fideliter preces fiant pro omnibus hominibus, amicis & inimicis, ſicut doctri
Luc.6. na Domini Chriſti & Apoſtolorum
1.Tim.2. præcipit, atq; ipſam etiam primã ſan-

ctámq;

ctámq; Eccleſiã feciſſe, exempla demonſtrant.

Qua de cauſa & populo inſtatur vt diligenter ad ſacros congreſſus frequénſq; conueniat, ibíq; ad ſerias & religioſas preces faciendas ex verbo Dei excitatur.

Quicquid autem huic Catholicæ Chriſtianæq; Catecheſi contrarium eſt, id omne repudiatur & reiicitur, & certis, ſacræq; ſcripturæ fundamentis nitentibus rationibus, firmiſſimè, quantum Deus gratiæ ad hanc rem largitur, refutatur, & populus vt à talibus caueat monetur.

CAPVT III.

De Unitate eſſentiæ diuinæ, & de tribus perſonis.

EX hoc fonte ſacræ ſcripturæ & catecheſeos Chriſtianæ, de vero ſanóq; intellectu & ſententia ſancti Spiritus, noſtri docent per fidem agnoſcere & ore profiteri ſanctã Trinitatem, Deum videlicet Patrem,

Filium & S. Spiritum tres eſſe diſtinctas perſonas ſive hypoſtaſes, ſecundum eſſentiam autem, vnum tãtum, verum, ſolum, æternum, omnipotentem, incomprehenſibilem Deum, vnius æqualis indiuiduæ diuinæ eſſen-
Rom.11. tiæ, à quo, per quem & in quo ſunt omnia, qui diligit & compenſat iuſtitiam & virtutem, odit autem & punit
Exod.20. omnem iniquitatem & peccata.

Secundum hanc fidem docentur homines, mirabilia opera Dei, & proprietates eas quæ ſunt perſonarum ſingularum ſanctę Trinitatis, & diuinæ vnitatis peculiares, ſummámq; & immenſam potentiam, ſapientiam & bonitatem Dei vnici agnoſcere, ex quibus & ſalutaris tam eſſentiæ quã voluntatis diuinæ agnitio oritur & exiſtit. Vnum genus operũ vel proprietatum trium perſonarum diuinitatis, quibus inter ſe diſcernũtur, ſunt internæ, æternæ, & hypoſtaticæ proprietates, quæ ſemper manent immutabiles, & tantum fidei oculis apprehenduntur, & ſunt hæ:

Quod pater tanquam fons & ſcaturigo diuinitatis, gignit ſibi ab æterno æqualem filium, & ipſe manet ingenitus, neq; tamen hic eſt perſona filij, cum ſit perſona gignens non genita. Filius ab æterno Patre verus Deus de Deo gignitur ab æterno, & quatenus eſt perſona, non eſt ipſe pater, ſed de patris eſſentia ſiue natura genitus filius, eiq; conſubſtantialis, qui filius completo tempore, quod huic rei præfinierat, ipſe ſolus (quatenus eſt filius) noſtram naturã ex beata virgine Maria aſſumſit, & in vnam cum diuinitate perſonam vniuit, de quo poſtea.

Spiritus ſanctus autem procedit à patre & Filio, atq; ita, neq; pater eſt, neq; filius, ſed ab his diſtincta perſona, æternus & omnem admirationẽ ſuperans ſubſtantialis amor patris & filij. Hæ tres perſonæ ſunt vnus, verus, æternus Deus, ſicut ſupra dictũ eſt.

Alterum genus operum in his perſonis, diuinaq; vnitate, ex hac eſſen-

tia diuina & hypoſtaſibus eius, foras promanat tanquam in conſpectum, quibus diſtinctis ſe patefecerũt, quæ ſunt tria. Primum admirabile opus Creationis, quod Symbola patri attribuunt. Secundum opus redemtionis, quod eſt Chriſti proprium. Tertium opus ſanctificationis, quod Sancto ſpiritui aſcribitur, qua de cauſa ipſe in Apoſtolico Symbolo peculiariter Sanctus nominatur, & hæc omnia tamen opera vnius veri Dei, & ſolius quidem huius, & nullius alterius, propria ſunt: ſcilicet patris & filij & Spiritus ſancti.

Hæc vera & plena fides, & ardua agnitio Dei, tam naturę quam voluntatis huius, in ſupra nominato, Catholico & Apoſtolico Symbolo, & conſentiente cum hoc decreto cõcilij Niceni, aliiſq; orthodoxis pluribus, etiã in Athanaſij cõfeſſione comprehenditur & includitur, Quæ vera eſſe ſentimus & profitemur.

Habet autem æterna & firma fundamenta quibus nititur, & argumẽtà gra-

grauiſſima, quibus vera eſſe conuincitur ex ſacra Scriptura, ex patefactione qua ſe exhibuit tota Trinitas, quando Chriſtus Dominus baptiſatus fuit in Iordane, & de mandato Chriſti quod in nomine perſonarum eiuſdem ſanctæ Trinitatis, omnes populi de fide doceri & baptiſari debeant, Etiam de verbis Chriſti, cū dicit, Hæc omnia docebit vos paracletus Spiritus ſanctus, quem Pater mittet, in nomine meo. Et ante hæc verba dicit: Orabo Patrem, & dabit vobis paracletum alium, qui vobiſcū ſit perpetuo, Spiritum veritatis. Matth. 3. Matt. 28. Iohan. 14

Præterea docetur, quod ſolus hic verus Deus, vnica eſſentia & natura diuina vnus & perſonis trinus, præ omnibus ſummo cultu colendus ſit, vt ſummus Dominus & Rex, qui dominatur & regnat ſemper, & in æternum, & præcipuè hoc modo, vt ad ipſum ſummè reſpiciamus, omnémq; fiduciam noſtram in ipſum ſolum collocemus, omnem ſubiectionem, obedientiam, timorem,

fidem, dilectionẽ, & omnem omnino venerationem, totius tam interni quam externi cultus diuini, ipſi offerendo ſacrificemus & pręſtemus, ſub pœna amiſsionis ſalutis æternę, ſicut
Deut.6. ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, eique ſoli ſeruies, Et rurſus:
Deut.6. Diliges Dominum Deum tuum ex
Matt.22. toto corde, ex tota anima, tota men-
Mar.12. te, & breuiter, omnibus tam interna-
Luc.10. rum quam externarũ facultatum viribus tuis, Cui ſit gloria ex hoc nunc vſq; in æternum, Amen.

CAPVT IIII.

De Agnitione ſui ipſius. Item de peccato, cauſis & fructibus huius, & de promiſsione diuina.

QVarto de agnoſcendo ſe homo docetur, & hoc quidem dupliciter.

Primum de agnitione ſtatus innocentiæ ſeu omnis culpæ experte, id eſt, naturæ integræ, è quo excidit.

Secundo

Secundo de peccati & mortalitatis in quam incidit. Status & cõditio innocentiæ & iuſticiæ cõſiſtit in his, quod Dominus initio hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſui cõdiderit, & gratiæ ſeu benignitatis ſuæ donis eum exornarit, iuſticiã in Spiritum eius, animum & corpus, & omnes facultates atq; vires horum inſeuerit, atq; ita ſanctum eum, iuſtum, ſapiẽtem, immortalem, & ſpiritui ſuo diuino templum ſuauiſſimũ, in mente, voluntate, memoria & iudicio hominis fecerit, daráq; luce intelligentiæ integritate & amore erga Deum omnéſq; creaturas ordinato ſeu legitimo, plena etiã & perfecta obedientia ſeu obediendi Deo facultate, vero timore Dei, & corde atq; natura bona, donarit, vt eſſet homo peculium ipſius, ſeu opus peculiare & propriũ, ad laudem glorioſæ gratiæ ipſius. *Gen.1.* *Eccle.17.* *Eph.1.*

In hoc ſtatu collocato reliquit liberam voluntatem, vt mãdatum, quod ei dederat, ſi vellet, implere poſſet, atque hoc modo iuſticiã ſibi ipſi & po-

ſteris vniuerſis ſuis cõſeruare, & per omnia, ſpiritu, anima, corpore, ſtatũ & conditione frui optima, imo etiam

Eccleſ. 15. aditum ſibi ad luculentiorem gloriã comparare, cõſiderando quod ignis & aqua, vita & mors, ipſi eſſent propoſita, ſin nollet, neq; hoc conaretur, vt deligendo malum illa bona poſſet amittere.

Altera pars agnitionis ſui, ante nimirum iuſtificationem, in hoc conſiſtit, vt homo ſtatum lapſus ſui, peccati & mortalitatis, recte agnoſcat. Homo enim, conceſſa eius voluntati à Deo deligẽdi libertatẽ abuſus eſt, le-

Iohan. 8. gemq; iuſticiæ eius non impleuit, ſed

Sapien. 2. ab hac defecit, & mandatũ Dei tranſgreſſus eſt in eo, quod diabolo & mẽdacibus verbis huius obtemperauit eiſq; fidem habuit, & fidem atq; obedientiam ſoli Deo debitam diabolo prę ſtitit, qua re ſe & poſteritatem ſuam, perfectionis & bonę naturę ſtatu exuit atq; ſpoliauit, gratiámq; Dei & dona inditæ in creatione iuſticiæ imaginis Dei, partim amiſit, partim ſicut vinum

vinum ſincerũ horribili veneno corrupit & contaminauit, atq; ita tam ſe quam genus ſuum in peccatũ & mortem, omniſq; generis in hac vita miſerias, & pœnas inſuper æternas præcipitauit.

Origo igitur & autor principalis omnis mali, eſt teter ille & deteſtabilis diabolus, tentator, mendax & homicida, & poſtea hominis libera voluntas, ea tamen quæ ad malum conuerſa per libidinẽ & cupiditates malas, peruerſeq; concupiſcendo, malũ deligit.

Ex his peccata ſecundum gradus hos, & hoc ordine, conſiderari & æſtimari poſſunt. Primum omnium & maximum atq; grauiſſimum peccatum omnino eſt Adami peccatum, quam Apoſtolus inobedientiam appellat, propter quam mors dominatur in omnes, etiam in eos qui non pari cum Adamo tranſgreſſione deliquerunt. *Rom. 5.* *Ibidem.*

Alterum eſt innatum & hæreditarium peccatũ originis, in quo omnes

concipimur & in hunc mundum na-
Pſal.51. ſcimur. Ecce, inquit Dauid, in iniquitatibus natus ſum, & in peccatis con-
Eph.2. cepit me mater mea: & Paulus, Eramus filij iræ natura. Huius hæreditariæ luis vis agnoſcatur atq; æſtimetur de reatu & culpa, inclinatione ſeu propēſione atq; natura praua, & pœna qua afficitur.

Tertium genus peccatorū eſt eorum, quæ actualia vocantur, qui ſunt fructus peccati innati, & per facultates, id eſt, ea quæ efficere homo poteſt, & membra hominis, intus, foris, clàm, palàm erumpunt, tranſgredien do omnia quæ Deus mandat & vetat, atq; ruendo inſuper in omnis generis damnatione dignam cęcitatem & errores.

Hæc de vera peccati agnitione doctrina apud noſtros diligenter exercetur & vrgetur, in quē vſum & duæ legis tabulæ, prima & ſecunda, Moſi à Deo datæ ſunt, vt inprimis ſe noſce rent homines, quod in peccatis concepti & nati, & ſtatim ab ortu & natura

tura ſua peccatores ſint, pleniq́ꝫ cupiditatum & inclinationum ſeu procliuitatum malarum, Inde enim nimirũ fit hoc, quod ſtatim à prima ætate, totoq́ꝫ vitę tempore, multis peccatis affecti & ſuperati, mãdata diuina, corde, cogitationibus & facinorib. violent & tranſgrediãtur, ſicut ſcriptum eſt: Dominus de Cœlo proſpexit ſuper filios hominũ, vt videat ſi eſt intelligens & requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul invtiles facti ſunt, non eſt faciens bonum, ne vnus quidem. Item, Dominus vidẽs quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malũ omni tempore. Et iterum, dixit Dominus, ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia eius. Et S. Paulus: Eramusq́ꝫ filij iræ natura, ſicut & cæteri.

Pſal.14. 53. Rom.3. Gen.8. Eph.2.

Vna cum his & hoc docetur, propter hanc toti generi noſtro communem corruptionem & deprauationem, propterq́ꝫ peccatum & aberra-

tiones & iniuſticiam, quæ inde exi-
ſtunt, omnes homines, de ſententia
ſacræ ſcripturæ, iuſtam condemna-
tionem ſuam, & horribilē ſeuerámq;
vltionem diuinam, atq; ita meritam
pœnam mortis & æternorum in in-
ferno cruciatuum, agnoſcere debere,
Rom.6. de quo Paulus docet, cū dicit: ſtipen-
dium peccati eſt mors. Et Chriſtus
Iohan.5. Dominus: Qui mala perpetrarunt,
ibunt in reſurrectionē iudicij, id eſt,
in pœnas æternas, vbi erunt ploratus
& ſtridor dentium.

Matt.24. & 25. Docent etiam quod imbecillitatē
noſtram agnoſcere debeamus, & in-
natam nobis magnam miſeriam, &
difficultates, ę quibus nemo ſeſe ipſe
vindicare aut eripere vnquam vllo
modo poteſt, aut ſeſe iuſtificare (id
eſt iuſtitiam ſibi conciliare aut acqui
rere) vllíſve cuiuſcunq; generis, etiā
ſpecioſiſſimis operibus aut actioni-
bus ſeu exercitijs. Voluntas enim ho
minis, quæ antea libera erat, nunc ita
corrupta, perturbata, & debilitata
eſt, vt nunc deinceps à ſe, ſinéq; gra-

tia

tia diuina, nullum plenum delectum ſeu arbitrium optionémve, & neque ſtudium aut propenſionem, nedum facultatem habeat, bonũ quod Deo placeat deligendi.

Etſi enim ipſa ſua ſponte voléńſq; prolapſa cõcidit, à ſe tamẽ, viribúſq; proprijs, nõ potuit è lapſu reſurgere, neq; hodie etiam abſq; Dei propitia ope quicquam poteſt. Rom.7.

Neq; quiſquam quicquam vſpiam habet rerum omnium, quibus ſe poſſit è peccatis ſuis & condemnatione eripere et liberare aut redimere extra Chriſtum, per quem ſolùm verè credentes à peccato, tyrannide & carcere Diaboli, ira Dei, morte & æternis pœnis liberantur. Iohan.15. 1.Cor.1.

Neq; etiam qui tantum homo eſt, & nihil habet ſupra captum naturæ huius noſtræ, alteri hac in parte ſuccurrere poteſt. Cum enim peccatum originis hæreditarium totam naturam occuparit, & in hac furioſe tumultuetur, omnes homines peccatores ſunt, & carent gratia & iuſtitia Rom.3.

Dei, Ideo dicit Deus per Prophetam
Eſa.43. Iſaiam: Reduc me in memoriã, & iudicemur ſimul, narra ſi quid habes vt iuſtificeris, pater tuus primus peccauit, & interpretes tui, id eſt, qui te docent iuſtitiam, preuaricati ſunt in me. Et aliquanto ante, de operibus ſeu actionibus cultus Dei humanis, dicit: Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis nõ glorificaſti me, non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.

Hebr.10. Et ad Hebreos ſcriptum eſt, Sacrificium & oblationem & holocautomata, & hoſtiam pro peccato, noluiſti, neq; approbaſti quæ iuxta legem offeruntur.

Hic ſimul ſciendum, Deum dominum omnis generis afflictiones, miſerias & animi ægritudines, in hac vita, ſuper omnes homines meritò propter peccata permittere & inducere, qualia ſunt, æſtus, frigus, fames, ſitis, curæ & ærumnæ, graues labores, calamitates, res aduerſæ, triſtia tempora, gladius, ignis, morbi, dolores, & tandem

tandem etiã intoleranda illa, qua natura euertitur, acerba mors, ſicut ſcriptum eſt, Morte morieris. Et iterum, *Gen. 2.* Maledicta terra in opere tuo, in labo *& cap. 3.* ribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, Et tamen ſimul hæc etiam inſtitutio ſit, vt doceatur, ab hominib. has omnes pœnas patienter ferri debere & oportere, vt qui Deo has debeant, & atrociorem etiam pœnam meriti ſint. Non tamen cum eiuſmodi perſuaſione quaſi ſibi aliquid luendo promereantur, aut à Deo quicquã gratiæ aut mercedis, quæ harum pœnarum merito rependatur, accipiant, cum de digniore multo crucis et perpeſſionum genere, quod verè credentes propter Chriſtum in ſe recipiunt, Paulus ita pronunciet, vt dicat, non eſſe conferendum cum futura gloria quæ in nobis declarabitur, ſed ideo hæc nobis obijci & patienter ferenda eſſe, vt magnitudinem peccati, & quam grauis res hoc ſit, atq; imbecillitatem & indigentiã miſeriamq; no-

ſtram agnoſcere diſcamus, & expe-
riundo cognoſcamus, quam ſupra o-
mnem captum mala & tetra atq; acer
Ier.2. ba res ſit, Dominum Deum ſuum de-
ſerere, ſicut Propheta loquitur. Item,
vt ij qui in his miſerijs demerſi, & his
oneribus oppreſſi ſunt, ad pœniten-
tiam excitentur, & gratiam & opem
apud Deum quærendam, qui pater
eſt plenus miſericordiæ & miſeratio-
Sap.3. num, Etſi diſertè hoc apponitur, labo
Mar.8. res & cruciatus ſanctorum, qui pro-
Ioh.12. pter nomē Chriſti, in cauſa nimirum
ſalutis æternæ, propterq; ſanctam ve
Rom.8. ritatem Chriſti, obeantur, ſacrificium
2.Theſ.1. eſſe Deo acceptum & gratum, ma-
1.Pet.1. gnasq; & amplas promiſſiones habe
re, præſertim in futura vita, Id quod
cum Chriſto capite noſtro ita euenit,
de quo Epiſtola ad Hebræos dicit:
Hebr.12. Quod loco propoſiti ipſi gaudij, ſu-
ſtinuerit crucem, qui & crucem per
ſe eis cõſecrauit & ſanctificauit, vt ſci
licet noſtræ perpeſſiones, quas ſuſti-
nemus Chriſti nominis cauſa, eſſent
Deo acceptæ & gratæ.

Cum hoc capite, & poſt hoc, cum rei ſeries & doctrinæ methodus ita poſtulet, docent miniſtri Eccleſiæ, poſt lapſum noſtrum agnoſcere promiſſionem diuinã, ipſum verum gratię verbum & ſanctum Euangelium, de arcano Conſilio ſanctæ Trinitatis prolatum, de Chriſto Domino, & tota ſalute noſtra per ipſum parta.

Harum promiſſionũ ſunt tres pręcipuæ, quibus cæteræ omnes compræhenduntur.

Prima in Paradiſo facta eſt, huius ſententiæ verbis: Ponam inimicitias inter te & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen eius, ipſum conteret tibi caput, & tu inſidiaberis calcaneo eius. *Gen. 3.*

Secunda eſt facta Abrahamo, quã poſtea Iacob & Moſes renouabant. *Geneſ. 12. 13. 15. 18. 21. 22. 49.*

Tertia Dauidi, quam Prophetæ repetebant & declarabant. *Deut. 18.*

In his promiſſionibus deſcribuntur & depinguntur maxima & principalia, atq; ipſa ſalutis noſtræ fundamentorum opera, Chriſti Domini, *2. Reg. 7. 23. Pſal. 131. 89. Eſa. 9. 11.*

quibus mediator ſit & ſaluator noſter, Nimirum cõceptio in vtero Marię virginis, et natiuitas ex hac ipſius, Semen enim mulieris factus eſt, Item cruciatus, reſurrectio ex morte, ſeſſio ad dextrã Dei, vbi ſacerdotali & regia dignitate donatus eſt, cuius rei typus quidã fuit tota vita Dauidis, qua
Ezec.34. de cauſa Dominus ſe alterum Dauidem & paſtorem appellat. Et hoc fuit Euangelium ſanctorũ ante legem, & poſt hanc latam.

CAPVT V.

De Pœnitentia.

POſt agnitum iam peccatũ deinceps docetur de ſacra pœnitentia, quæ doctrina omnibus peccatoribus conſolationem præſtat ingentem, & in genere omnibus hominibus, tam incipientibus diſcere, quam proficientibus Chriſtianis, etiam lapſis peccatoribus, ijs tamen, qui per gratiam Dei conuerſi reſipiſcunt, ad ſalutem admodum vtilis eſt & neceſſaria,

ſaria, de qua Iohannes Baptiſta con- *Matth.3.*
cionatus eſt, & poſt hunc Chriſtus i-
pſe, huius ſentẽtiæ verbis, Agite pœ- *Matth.4.*
nitentiam, dicebat, appropinquauit *Mar.1.*
regnum cœlorum, Poſtea & Apoſto *Luc.24.*
li in toto orbe terrarum, ſic enim ſcri-
ptum eſt, Atq; ita oportuit pœniten-
tiæ & remiſſionis peccatorum con-
cionando præconium fieri in nomi-
ne Chriſti ad omnes gentes. Atq; hęc
pœnitentia omnino exiſtit de vera
agnitione peccati & iræ Dei, Ad hãc
vero agnitionem procurandam, ple-
na & integra opera miniſterij vſur-
panda eſt, in præſtãdo tam pœniten-
tiæ ſeu legis cõciones, de debita Deo
iuſtitia & ſententia Dei aduerſus pec
catum, quæ lege comprehenditur,
quam fidei in Chriſtũ IESVM, & de
huius ſancta ſatisfactione, quam per
grauiſſimos cruciatus pro nobis pręſtitit. Hanc pœnitẽtiam & ſalutarem
conuerſionem propitius Deus pecu
liari dono ſuo largitur & confert, &
inſcribit eam cordibus credentium,
ſicut dicit; Dabo vobis cor nouum,

Ezec.36. & Spiritum meum ponam in medio
Hebr.8. veſtri,& faciam vt ambuletis in man
Ezec.36. datis meis.Item,vt pœniteat vos pec
catorum & idololatriæ veſtræ,Et ite-
Ierem.31. rum,Cum conuerterer, agebam pœ-
nitentiam.

Hæc ſalutaris pœnitentia(quæ lon gè ab Eſaui & Iudæ pœnitētia diſcriminata eſt) veram & germanam originem ſuam ducit ex hoc dono largientis Dei,& concionibus verbi diuini,quibus peccatum arguitur:Atq; habet hoc ordine primum, vt ſit intimi cordis metus ſeu pauor ad Deum, & iudicium huius iuſtum & ſeuerū, ſeueramq; vltionem, pœnitendo & dolendo exhorreſcat,Vnde cōſcientia exiſtit mala, grauis, trepidans & inquieta,animus perturbatus, & cor triſte,anxium & contritum,atq; adeo quidem, vt homo apud ſe & ex ſe nihil conſolationis habere poſſit, ſed Spiritus ipſius plenus ſit omnis generis ægritudinis, triſtitiæ, angoris, & terroris, quibus perturbatur à metu ardentis iræ in vultu ſeuero Dei.

Exem-

Exemplum habemus Dauidem cum dicit: Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ,non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum, Miſer factus ſum & curuatus ſum vſq; in finem,tota die contriſtatus ingrediebar. Pſal.38.

Talis terror & ſenſus verus peccati efficit in credentibus internã mentis & animi mutationem, & à peccatis & cauſis atq; occaſionibus huius conſtantem auerſionem. His ſtatim additur docendo diligenter, perturbatos, territos, & reſipiſcentes homines tales debere ſe intimi cordis affectu cum pœnitentia & ſummiſsione animi humilis, confeſsione & inuocatione ſua ad Deum conuertere, & fide in IESVM Chriſtum Dominum noſtrum certam & indubitatam fiduciam de miſericordia huius concipere, & promiſſionẽ arreptã tenere, & hac omnino niti. Cumq; à ſe nihil iuſtitiæ habeant,à diuina gratia ardenter & fidenter petere, vt Deus ipſorum miſereri velit,& peccata ipſis ex

gratia propter filium & precioſum
1.Ioh.2. meritum huius remittere, qui factus
Gal.3. eſt placatio ſeu reconciliatio pro peccato, etiam execratio, vt nos Deo ſanctos efficeret ſeu cõſecraret. Talibus enim, ad maiorem fiduciam in ipſis excitandam, propoſita eſt, & concionando proponi debet, certa precioſaq; promiſſio ea, qua dicit Deus: In-
Pſal.50. uoca me in die tribulationis, & ego eripiam te. Et hoc facere debent quotieſcunq; ipſis opus eſt, & quam diu viuunt. De hoc extat S. Ambroſij ſen-
Lib. 1. de pœnitentia, cap.1. tentia: Nemo recte meditabitur pœnitentiam, niſi perſuaſus fuerit de diuina erga ſe miſericordia, vel, vt ipſe loquitur, niſi qui ſperauerit indulgentiam.

Omnes verò quos peccatorũ ſuorum verè pœnitet, & horum nomine dolentes, ſibiq; diſplicentes, deſiſtere debent à perpetratione mali, & diſcere vt faciant quod bonum eſt, hæc
Eſa.1. enim ſcribit Eſaias, eo loco quo populum ad pœnitentiam hortatur.

Et Iohannes Baptiſta ſimiliter admo-

monendo dicebat, Videte vt fructus *Luc.3.*
feratis ſeu præſtetis reſipiſcētibus di-
gnos, quod præcipue poſitum eſt in
mortificando & exuendo veterē ho- *Coloſſ.3.*
minem, & induendo nouum, qui ſe- *Epheſ.4.*
cundum Deum conditus eſt, vt ſonat
doctrina Apoſtolica.

Præterea ita inſtituuntur pœniten tes, vt curatores animarū ſuarum accedant, & coram ipſis confiteantur Deo peccata ſua: nemo tamen, neq; iubetur neq; vrgetur enumerare peccata, ſed res hæc ideo ſuſcipitur, vt hoc modo dolorē ſuum, quo afficiuntur, & quam ſibi propter peccata diſpliceant, indicare, & conſilium & doctrinam, quomodo deinceps ea effugiant, & inſtitutionem atq; conſolationem impeditis conſcientijs ſuis, itemq; abſolutionē, ex poteſtate clauium, & remiſſionem peccatorū, per miniſterium Euāgelij à Chriſto inſtitutum, peculiariter ſinguli expetere poſsint, & à Deo ſuo conſequi ſe ſciant, & quādo hæc à miniſtris eis prę ſtantur, accipere ab his, tanquā rem à

Deo ad commodandum ipſis & ſalu‍tariter inſeruiendum inſtitutam,cum fiducia debent, & remiſſione peccatorum ſine dubitatione frui, ſecundũ
Ioh.20. verbum Domini,Cui peccata remiſeritis,remittuntur eis.

Atq; hac fide indubitato nitentes, certi & animo confirmato eſſe debent per miniſterium clauium harũ de poteſtate Chriſti, & verbo ipſius, omnia ipſis peccata remitti.Ideoq; & ij, qui hoc modo & ordine pacatam & lætam conſcientiam conſequuntur,huic diuinæ in Chriſto benignitati gratos ſe præſtare debẽt,neq; hanc fruſtra percipere, aut rurſus ad peccata ſe conuertere,ſecundum hortationem fidelẽ Chriſti, qua caueri hic iu‍
Iohan.5. bet, Ecce ſanus factus es, ne pecces amplius, ne quid deterius tibi acci‍
Iohan.8. dat.Et,Ne amplius pecces.

Fundamentum autem quo nititur, & vniuerſa virtus atq; efficacitas ſalutaris pœnitentiæ huius, eſt meritum cruciatuum mortis & reſurrectionis noſtri Domini & ſaluatoris, de quo

ipſe

ipſe dicit: hæc oportebat Chriſtum perpeti, & reſurgere die tertia, atque prædicari in eius nomine concionando pœnitentiam & remiſſionem peccatorũ inter omnes populos. Et rurſus: Agite pœnitẽtiam & credite Euangelio. *Luc.24.* *Mar.1.*

Docetur & hoc, apud eos quorum peccatum eſt publicũ, atq; ideo ſcandalum publicum, quando Deus eis largitur pœnitentiæ ſpiritum, externam pœnitentię teſtificationem non debere abeſſe, & hac quidem de cauſa, vt ſit argumẽtum & teſtimonium, quo probetur ſeu planum fiat, lapſos peccatores qui pœnitentiam agunt, vere ſe conuertere: Etiam vt ſit nota recõciliationis cum Eccleſia & proximo, atq; exemplo aliis, quod reformident & vereantur. *Matth.5. et cap.18. 1.Tim.5.*

Poſtremo, huiuſmodi commonefactionis clauſula res concluditur; Tandem condemnatum iri vnumquenque quicunq; ſit, qui non in hac vita, in nomine Domini IESV Chriſti pœnitentiam egerit, ſecundum

ſententiam pronunciatam à Chriſto: Niſi reſipiſcatis, omnes eodem modo peribitis, quo illi, quos oppreſſit ruina Siloanæ turris.

CAPVT VI.

De Chriſto D.N. & Iuſtificatione per fidem in hunc.

SExtum Caput doctrinę Chriſtianæ in noſtris Eccleſiis, eſt de fide in IESVM Chriſtum Dominum noſtrum integra & viua, & de vera per hanc fidem iuſtificatione. Hoc enim omnino conſtat, quod poſt lapſum Adæ nemo hominum è ſeruitute peccati, & regno mortis condemnationiſq; ſe in libertatem vindicare, aut ad veram cum Deo recõciliationem peruenire poſſit, niſi tantum per vnicum mediatorem inter Deum & hominem IESVM Chriſtũ in fide viua, qui ſolus morte & ſanguine ſuo imaginem peccati & mortis à nobis tollit, & iuſtitiæ & vitæ imagine per fidẽ nos induit. Factus enim eſt nobis à Deo

Deo ſapiẽtia,iuſticia, ſanctificatio & redemtio. *1.Cor.1.*

Primum autem docentur de Chriſto credi hæc, Quod ſit verus, æternus,& de natura patris cœleſtis, vnigenitus, & ab æterno genitus filius, atq; ita ſimul cum patre & ſancto Spiritu vnus verus & indiuiduus Deus, æternum,non creatũ verbum, ſplendor & imago atq; character hypoſtaſeos patris,per quem omnia,tam quę cerni, quam quæ non cerni poſſunt, & cœleſtia & terrena facta ſunt & creata omnia. *Iohan.1.* *Hebr.1.* *Coloſſ.1.*

Item, Quod ſit etiam verus & naturalis homo,noſter verus frater,qui animam & corpus,id eſt,veram integrámq; naturam humanam habeat, quam efficacitate Sancti ſpiritus, ex pura virgine Maria, abſq; omni peccato aſſumſit. Sicut S. Iohannes dicit: verbum caro factum eſt. *Iohan.1.*

Atq; ita in his duabus naturis, neque mutatis neq; confuſis proprietatibus harum,& admirabili tamen earundem communicatione ſeu vnio-

ne vna ſit & indiuidua perſona, vnus Chriſtus Emanuel, Rex & ſacerdos, redemtor noſter, mediator, & perfectus recōciliator, plenus gratia & veritate, vt de plenitudine eius accipiamus gratiã pro gratia, Lex enim per Moiſen data eſt, gratia autem & veritas per IESVM Chriſtum, nempe Deum & hominem in vna perſona, facta eſt atq; extitit.

Hanc gratiam & veritatem docentur noſtri agnoſcere, & fide contemplari in omnibus ſalutaribus & mirificis operibus ſeu effectionibus Chriſti, quæ ſecundum ſententiam ſacræ ſcripturæ immota fide & credendæ ſunt & profitendæ: quales ſunt: Aduentus eius de Cœlo, conceptio, natiuitas, cruciatus, mors, ſepultura, reſurrectio, aſcenſio in cœlos, ſeſſio ad dextram Dei, & reuerſio inde ad iudicium viuorum & mortuorum.

In his effectionibus principalibus tanquam in ciſta theſauraria vniuerſi ſalutares illi veræ iuſtificationis fructus reconditi ſunt, & electis atq; cre
denti-

dentibus inde depromuntur, vt horũ in ſpiritu & cõſcientia per fidem participes fiant, quæ omnia deinceps in die lætæ reſurrectionis perfectè plenecꝫ nobis conferentur.

Ex hoc fundamento, de hac iuſtificante fide, veràcꝫ & plena per hanc iuſtificatione, ſecũdum certa claràcꝫ in ſacris literis indicata teſtimonia, amplius docetur. Primum neminem ſuis viribus, aut voluntatis propriæ, carniſve & ſanguinis facultate, hanc ſalutarem & iuſtificantem fidem con ſequi & habere poſſe, niſi Deus gratia ſua per Spiritum ſanctum & mini ſterium concionis Euangelij in cor inſerat, cui, & quando voluerit, ita vt accipere poſſit omnia, quæ per præconium publicũ verbi Dei, percꝫ Sacramenta à Chriſto inſtituta offeruntur ad ſalutem, & de hac teſtata fiunt, de quo ſanctus Iohãnes Baptiſta Domini, dicit: Homo nihil poteſt ſibi ſumere niſi detur ei cœlitus. Item Dominus Chriſtus ipſe dicit: Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me,

Rom.10. *2.Theſ.3.* *Iohan.3.* *Iohan. 6.*

traxerit eũ. Et mox: Niſi à patre meo ei datum ſit, nimirũ cœlitus per Spi-
Matt.16. ritum ſanctum. Et Petro: Caro & ſanguis non reuelauit tibi.

Atq; hæc fides proprie eſt cordis promti aſſenſio erga vniuerſam in Euangelio annunciatã veritatẽ, qua homo mente & animo illuſtratur, vt Deum ſuum & Dominum IESVM Chriſtum recte agnoſcat & pro vnico ſaluatore ſuo accipiat, ſupráque hunc, vt veram petram, ſuam prorſus ſalutẽ collocet, eum diligat & ſequatur, ipſóq; fruatur, omnémq; ſpem & fiduciã ſuam in eo reponat, & ſe hac erigat, & animoſa fiducia confidat, quod propter ipſum, & ſolum meritũ ipſius, propicium, placidum & benignum Deũ habeat, atq; etiam in ipſo & per eum certo vitam æternam habeat, & in æternum habiturus ſit, ſecundum veram promiſſionẽ ipſius, quam iureiurando confirmauit, cum
Iohan.6. dicit, Amen amẽ dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Et,
Ibid. Hæc eſt voluntas eius qui miſit me,

vt

vt qui viderit filium, & crediderit in
eum, vitam æternam habeat, & ego
reſuſcitabo eum in die nouiſſima. Itē,
Hæc autem eſt vita æterna vt te ſolū *Ioh.17.*
verum Deum agnoſcāt, & quem mi-
ſiſti IESVM Chriſtum. Et Ieſaias, per
agnitionem ſui, ipſe ſeruus meus iu- *Eſa.53.*
ſtus iuſtificabit multos.

Hæc ſola fides, & hæc intimi cor-
dis in IESVM Chriſtum Dominum
noſtrum fiducia iuſtificat ſeu iuſtum
facit hominem coram Deo, abſq; vl-
lis operibus quæ ipſe addat conferen
do, aut vllo merito ipſius, de qua ſan-
ctus Paulus dicit, Ei vero qui nullum *Rom.4.*
opus facit, credēti autem in eum qui
iuſtificat impium, fides eius pro iuſti-
cia imputatur. Et ſuperius: Nunc ve- *Rom.3.*
ro abſque lege patefacta eſt iuſticia
Dei, comprobata per legem & pro-
phetas, Iuſticia inquam Dei per fidē
IESV Chriſti, in omnes & ſuper o-
mnes qui credunt. Et alibi, Qui cre- *Act.13.*
dit in hunc, iuſtus efficitur.

Et hæc iuſticia ſeu iuſtificatio, eſt
remiſſio peccatorum, ſublatio pœnæ

æternæ quam Dei ſeuera iuſticia depoſcit, & Chriſti iuſticia ſeu imputatione huius, cõveſtiri, cumq; Deo re-
Eph.1. conciliatio, in gratiam receptio, per quam gratioſi facti ſumus in dilecto, & cohæredes vitæ æternæ, ad quæ & confirmanda, & noui ortus ſeu regenerationis cauſa, arrabo additur S. Spiritus, qui gratis donatur & cõfertur, de infinita gratia propter Chriſti mortem, ſanguinem effuſum, & reſurrectionem huius.

Hæc omnia S. Paulus pręclare de-
Rom.4. ſcripſit in Epiſtola ad Romanos, vbi Dauidis verba introducit, dicentis,
Pſal.32. Beati quorum remiſſa eſt iniquitas. de quo agit per totum caput. Et ad
Gal.4. Galatas, Emiſit Deus filium ſuum vt
Rom.8. adoptionem acciperemus. Quoniã autem eſtis filij, emiſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem Abba pater. Quoſcunq; enim Deus iuſtificat, iis largitur ſanctum Spiritum, & per hunc initio eos regenerat, ſicut per prophetam promittit:
Ezec.11. & 36. Dabo eis, inquit, cor nouum, & ſpiri-

tum

tum meum ponam in medio eorum, vt quemadmodum antea in ipſis regnauerat peccatum in mortem, ita etiam tunc gratia regnaret per iuſticiã Rom. 5. in vitam æternam per IESVM Chriſtum. Et hęc eſt communio ſeu participatio gratiæ Dei patris, meriti IESV Chriſti Domini noſtri, & ſanctificationis Spiritus ſancti, hæc eſt lex fidei, lex ſpiritus & vitę, ſcripta per Spiritum ſanctum.

Viua autem & nunquam exareſcens ſcaturigo huius iuſtificationis eſt ipſe Dominus noſter IESVS Chriſtus ſolus, operibus illis ſuis ſaluificis, id eſt, ſalutem conferentibus, de quo omnes ſancti ab initio mundi, tã ante promulgatã legem, & ſub hac, & diſciplina huius, quàm poſt hanc, ſalutem ſeu remiſſionem peccatorum, per fidem in conſolationis plenam Euangelij promiſſionem, hauſerunt & hauriunt, acceperunt & accipiunt, atq; ſibi vt propriam applicant atque accommodant, propter ſolam tantum mortem ipſius & ſanguinem

effuſum, ad plenam perfectámq; dele tionem peccatorũ, & mundationem ab his omnibus, de quo multa extant
Act.4. ſcripturæ teſtimonia. Sãctus Petrus, coram toto Synedrio ſeniorum Hieroſolymis, firmis argumentis probat, quod in nullo alio, præterquã in Chriſto IESV ſolo ſalus ſit, Etiam ſub latè patenti cœlo hoc, nullũ eſſe aliud nomen datum hominibus, in quo ſalui
Act 10. fiamus. Et alibi prouocat ad conſentientes voces & teſtimonia omnium prophetarum, qui vna mente, per vnum ſpiritum, tanquã per os vnum, locuti ſunt, & ſic dicit: De hoc IESV teſtantur omnes prophetæ, quod in nomine ipſius, omnes qui credunt in ipſum, peccatorum remiſſionem accipere debeant. Et ad Hebræos ſcri-
Hebr.1. bitur; Purgationem à peccatis per ſe-
Eph.1. ipſum effecit. Et rurſus: Redemtionẽ habemus per ſanguinem ipſius, nimirum peccatorum remiſſionem.
1.Ioh.2. Et S. Iohannes, Aduocatum habemus apud Patrem IESVM Chriſtum, iuſtum, & ipſe eſt propitiatio ſeu placatio

catio pro peccatis noſtris, neque pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi peccatis.

Et iterum ad Hebręos, Sanctificati ſumus per oblationem corporis IESV Chriſti ſemel factam. Et mox attexit, vnico oblato ſacrificio abſoluit in perpetuum cõſecrationem eorum qui ſanctificantur, à Deo ſcilicet per ſpiritum Dei. Omnes igitur peccatores & pœnitentes continenter per totam vitam ad Dominum Chriſtum ſolum, pro remiſſione peccatorum, omniq; ſalutari gratia, confugere debent, ſecundum hoc quod eſt in Epiſtola ad Hebræos: Habentes igitur pontificem magnum IESVM filium Dei, qui in Cœlum penetrauit, teneamus hanc profeſſionem, quæ eſt ſcilicet de Chriſto Domino. Et mox his ſubijcit, Accedamus igitur cum libera fiducia ad ſolium gratiæ, vt miſericordiam percipiamus, & gratiã inueniamus opis oportunæ. Chriſtus etiã ipſe exclamando dicit: Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. Et alio loco: Qui

Hebr. 10. *Hebr. 4.* *Iohan. 7.* *Iohan. 6.*

ad me venit,non eſuriet,Et qui credit in me nunquam ſitiet.

Qui vero ad hanc iuſtificationem per Chriſtum Dominum noſtrũ perueniunt, ij docentur, vt deinceps ex hac diuina gratia & benignitate, veram certámq; cõſolationem ſibi hauriant, & coram Deo bona quietáq; conſcientia fruantur, atq; tandem de ſalute etiam ſua certi reddãtur,& hæc in ipſis hoc modo confirmetur,quod
Rom.8. cum hic filij Dei ſint,etiam poſt mor-
Gal.4. tem in reſurrectione hæredes ſint futuri. Interea & expetere debẽt ſe adduci ad percipiendos fructus perfectæ ſalutis, & hanc læti expectare, cum ea fiducia,ſecundum promiſſionem Domini, quod tales non veniant in iudicium, ſed è morte in vitam
Iohan.5. tranſeundo penetrarint atque perruperint.

Hoc caput doctrinæ, ex omnibus apud nos pro maximo & grauiſſimo capite habetur,vt in quo ſumma Euangelij poſita eſt, & quo Chriſtianiſmus

ſimus fundatur, & in quo precioſus nobiliſſimusq́ theſaurus ſalutis æter næ, vnicáq; & viua conſolatio diuina comprehenditur. Itaq; in hoc præcipuam operam ponunt animarum paſtores noſtri, vt huius capitis doctrinam in cordibus hominum intimis bene informent, & his profundè inſerant.

In hoc capite etiam peculiariter, & neceſſarijs de cauſis, ad auertendũ & declinandũ multas pernicioſas Antichriſticáſq; ſeductiones, de præſentia Chriſti docetur, Chriſtum ſcilicet Dominum corporis ſui cõſuetudine, eo modo & ratione, qua hic in mortalitate ſua obverſatus eſt, & in qua proditus & excruciatus fuit, nõ amplius in hoc mundo præſentẽ eſſe, neq; vſque ad finem mundi præſentem affuturum, imò etiam neq; ſui glorificati corporis habitu, quẽ in reſurrectione adeptus eſt, & cum quo diſcipulis ſuis apparuit, & quadrageſima die poſt reſurrectionem ſuam, manifeſtè ab ipſis migrando in cœlum aſcen-

dit, hoc enim modo conſuetudinis & prçſentiæ ſuç eſt in ſublimi & cum
Phil.2. patre in Cœlo, vbi omnes linguæ eũ eſſe Dominum profitentur, & vnuſquiſq; Chriſti fidelis, ſecundum ſcripturam, eſſe eum ibi credere & colere debet, ſicut & caput illud catholicæ fidei Chriſtianæ diſertè teſtatur, quod huius ſententiæ verbis profertur: Aſcendit in Cœlos, ſedet ad dextram Dei patris omnipotentis. Item alterũ caput, Inde venturus eſt (hoc eſt de ſuperiore loco è cœlo cum angelis ſuis) ad iudicandum viuos &
1. Theſ. 4. mortuos. Ita Paulus etiam dicit, Dominus ipſe cum claſſico, & voce Archangeli, & tuba Dei deſcendet de
Act. 3. Cœlo. Et S. Petrus, Quem oportebat cœlum ſuſcipere vſq; ad tempus reſtitutionis omniũ. Et Euangeliſta Mar-
Mar. 16. cus, Dominus vero cum locutus eſſet cum ipſis, ſurſum aſſumtus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei. Et angeli qui aderant, cum in Cœlũ aſcen-
Act. 1. deret, dicebant, Hic IESVS qui à vobis ſurſum in Cœlum aſſumtus eſt, ita

veni-

veniet reuertens ſicut eum vidiſtis aſcendentem.

Hic vero, in hoc mundo, docetur à noſtris, ille idē Chriſtus verus Deus & verus homo etiam nobiſcum eſſe, ſed à ſupra memorato, & priore præſentiæ genere, diſtincto modo, hoc eſt, ſpirituali quodam & non in oculos incurrēte, ſed nos latente modo, quem caro nō ſentit, & tamen qui nobis ad ſalutem noſtram, ideo vt participes ipſius fiamus, admodum neceſſarius eſt, quo ſe nobis offert & communicat, vt ipſe in nobis & nos in ipſo habitemus, Et hoc quidē præſtat per Spiritum ſanctum et dona huius, quem ſuo loco, id eſt loco præſentiæ eius, qua corporis ſui conſuetudine nobiſcum fuit, miſſurum ſe Eccleſiæ ſuæ promiſit, & per hūc, virtute quidem, gratia & veritate ſalutari ſua, futurum ſe cum hac omnibus diebus *Matt.28.* vſq; ad finem mundi, quando ſic dicebat: Bonum eſt vobis vt abeam, niſi *Ioh.16.* enim abiero, paracletus ad vos non veniet: quod ſi vero abiero, mittam

Ioh.14. eum ad vos. Et rurſus: Orabo patrē, & dabit vobis paracletum alium (alium ſcilicet quam ego ſum) qui vobiſcum maneat in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, neque nouit eum, vos autem nouiſtis eum, quia apud vos manet, & erit in vobis. Nō relinquam vos orbos, redibo ad vos, nimirum per illum ipſum Spiritum veritatis.

Quemadmodum autem Dominus Chriſtus hoc altero modo iſtius non in oculos incurrentis præſentiæ, ſed ſpiritualis cuiuſdam, adeſt præſens in miniſtris Eccleſiæ, verbo & Sacramentis, ita etiam per eoſdem miniſtros, perq́ idem verbū & Sacramenta, præſens eſt in Eccleſia, perq́ hæc accipiunt eum electi, intimi cordis fide, atq́ cum ipſo ſe ideo cōiungunt, vt ipſe in his, & hi in ipſo oculis non apparente & occulto ad mundū modo, per illam fidem habitet, ſpiritualiter nimirum, in animabus & cordibus, per ſpiritum veritatis, de quo dicit

cit Dominus, Apud vos manet & in vobis erit. Item: Redibo ad vos. Ioh. 14.

Hæc fidei noſtrę ſententia atq; explicatio non eſt noua, aut nunc primum excogitata, ſed admodum vetus. Quod autem in Eccleſia ab antiquo hoc communiter & docuerint & ſenſerint, planum fit & conſtat de veterum Eccleſiæ doctorum ſcriptis, & decreto, in quo ita ſcriptum eſt, & ſunt ea verba Auguſtini: Donec ſeculum finiatur ſurſum eſt Dominus, ſed etiam hic eſt veritas Domini, corpus enim Domini in quo reſurrexit, vno loco eſſe oportet, veritas autem eius vbiq; diffuſa eſt. *Diſt. 11. cap. Prima quidẽ, etc. In Iohannem Tractatu 30.*

CAPVT VII.

De Bonis operibus, & vita Chriſtiana.

SEptimo loco docetur, eos qui per ſolã fidem in Chriſtũ IESVM gratia diuina gratis abſque vllis meritis, iuſti facti ſunt, & Deo accepti,

in poſterum communiter vniuerſos, & peculiariter ſingulos, pro eo vt ordo, conditio, ætas & locus cuiuſq; poſtulat, à Deo mandata opera bona, & actiones pias, præſtare atq; exercere debere, quomodo et Dominus mandat, cum dicit: Docete eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis. Hæc verò opera bona, ſeu actiones piæ, nō ſunt à carne & ſanguine excogitatæ effectiones quædā, Tales enim vetat Dominus, ſed ſpiritu Dei diſertè indicatæ & propoſitæ, ad quas præſtandas Deus nos obligat, quarumq; regula & norma præcipuè Deus ipſe eſt in verbo ſuo, ſic enim dicit per Prophetam, In præceptis patrum veſtrorum ne incedatis, & iudicia eorum ne cuſtodiatis, & in idolis eorū ne polluatis vos, ego Iehouah Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite, & facite ea. Et Chriſtus ſimiliter, Docete eos quæ mandaui vobis. Eſt igitur & ſumma quædam, normáq; rectiſſima, & artificioſiſſima informatio ſeu deſcriptio omnium

Matt. 28.

Ezec. 20.

Math. 28.

mnium bonorum operum, Decalogus, & caritas quæ per fidem iuſticiã efficit ad dextram & ſiniſtram, tam erga Deum quàm erga proximum, huius autem normæ exemplum eſt ſanctiſs. vita Chriſti, de qua ipſe dicit: diſcite ex me, quia mitis ſum & humilis corde. Quid etiam aliud docere voluit octo ſententias de beatitudine pronunciando, quam qualis vita verorum Dei filiorũ eſſe debeat, & quæ ſint à Deo mandata opera? *Math. 11.* *Matth. 5.*

Secundũ hæc igitur omni diligentia & cura docetur de diſcrimine, quod agnoſcẽdum & tenendum ſit, inter opera ab hominibus excogitata & tradita, & inter ea quæ à Deo mandata ſunt. A Deo mandata opera, nequaquam propter humanas traditiones intermitti debent, hoc enim grauiter in ſecus facientibus & Phariſæis Chriſtus reprehendit. Quare, inquit, tranſgredimini mandata Dei propter veſtras traditiones? Et rurſus, Fruſtra colunt me, cum doceant tantum mandata hominum. Ab ho- *Math. 15.* *Math. 15.* *Mar. 7.* *Ieſa. 29.*

minibus vero tradita opera quamcunq; etiam bonitatis ſpeciem habeant, nullo modo tanti fieri debent, quanti ea, quæ à Deo mandata ſunt, Imò vt amplius aliquid dicatur, ſi nō
Eſa.1. ſunt ex fide, ſed fidei cōtraria, nullius
& 64. precij ſunt, & abominatio & fœditas coram facie Dei.

Opera aũt bona vniuerſa diuiduntur, primũ in genere in ea quæ ad omnes verè Chriſtianos ſecundũ vnitatem fidei & ſalutis Catholicæ pertinent. Secundo in ſpecie ſeu peculiariter, in ea quæ ſunt ordinis, ætatis, loci ſingulorum: quomodo Spiritus ſanctus peculiariter presbyteros, Dominos, vulgus, parentes, liberos, coniuges, cœlibes, ſingulos ſuas obligationes, & opera propria docet. Præterea diligenter in hoc capite docentur homines agnoſcere, quomodo & in quo bona opera Deo placeant. Deo quidem in nullo alio placent, quam in ſolo nomine Domini noſtri IESV Chriſti, in quo nomine, ſecundum Pauli Apoſtoli doctrinam,

ad gloriam Dei præſtari debent, qui ſic inquit, Quicquid egeritis, verbis & factis, omnia facite in nomine Domini IESV. Et Dominus ipſe dicit, Sine me nihil poteſtis facere, nihil ſcilicet quod placeat Deo, & vobis ſit ſalutare.

Coloſſ. 3. *1. Cor. 10.* *Iohan. 15.*

In nomine Chriſti autē bona opera facere, eſt facere ea in fide viua in ipſum, qua ſumus iuſtificati, & caritate quæ per Spiritum ſanctum in corda noſtra effuſa eſt, ita nimirum quod Deus nos diligit, & nos viciſſim Deum Dominum, & proximum noſtrū. Sanctus enim ſpiritus ſanctificat, mouet, & accendit ad has pias actiones corda eorum qui iuſtificati ſunt, ſicut dicit Dominus: Ipſe erit in vobis. Et Apoſtolus, Vnctio Dei docet vos. Hæc duo, fides & caritas, ſcaturigo ſunt & norma omnium virtutum & bonorum operum, ſecundum Apoſtoli teſtimonium, Finis mandati eſt caritas è puro corde & conſcientia bona & fide non ſimulata. Et rurſus, Sine fide fieri non poteſt vt

Ioh. 14. *1. Ioh. 2.* *1. Tim. 1.* *Hebr. 11.*

1.Cor.13. Deo placeatur. Item ſine caritate nul
la res prodeſt. Deinceps docetur,
quare & quo conſilio ſeu fine pieta-
tis Chriſtianæ opera bona præſtari
debeant, nimirum non hac de cauſa
vt homines iuſtificationem aut ſalu-
tem per hæc, & remiſſionem pecca-
torum conſequantur, Nam Chriſtus
Luc.17. dicit, Vbi feceritis omnia quę manda
ta ſunt vobis, dicite, ſerui invtiles ſu-
Tit.3. mus. Item Paulus, Non propter ope-
Rom.3. ra iuſticiæ quæ fecimus, ſed per miſe-
Galat.3. ricordiam ſuam ſaluos nos fecit: cum
quibus cōſentiunt & Dauidica, quan
Pſal.143. do orat, Dominę ne intres in iudiciū
cum ſeruo tuo, quoniam coram te nō
iuſtificabitur vllus viuens. Sed Chri-
ſtiani in bonis operibus exercere ſe
debent propter cauſas infra ſcriptas.
Primum, vt hoc modo probēt & de-
monſtrēt fidem ſuam, & ex his quod
ſint veri Chriſtiani, hoc eſt, viua mem
bra & ſectatores Chriſti eſſe agno-
Luc.6. ſcantur, De quo dicit Dominus, vna-
quæq; arbor de fructibus ſuis cogno
ſcitur. Sunt equidē bona opera certa
argu-

argumenta & ſigna teſtimoniáq; & exercitia viuæ fidei, eius, quę intus in corde latet, atq; omnino veri Deóq; accepti fructus huius, Chriſtus viuit in me, inquit Paulus, quod enim iam in carne viuo, per fidẽ viuo filij Dei. Gal. 2.

Atq; aliter profectò fieri aut res ſe habere non poteſt, quin perinde vt peccatum parit mortem, ita fides, & quæ ex hac eſt iuſtificatio, vitam pariat intus in ſpiritu, & foris in operibus Caritatis. Rom. 5. Poſtea etiam ideò præſtanda ſunt bona opera, vt Chriſtiani electionem atq; vocationem ſuã in ſeſe confirment & exædificent, & cauendo peccata mortalia eam cõſeruent, ſicut S. Petrus docet, cum inter cætera ſic ſcribit, Quare fratres ſtudete potius vocationem & electionem veſtram firmam reddere, ſeu confirmare. 2. Pet. 1. Quomodo autem hoc fieri poſſit, paulò antè breuibus oſtendit, omni ergò ſtudio veſtro in hanc rem collato, exhibete ſeu præſtate cum fide veſtra virtutem, cum virtute verò ſcientiam, cum ſcientia cõtinentiam, cum

continentia autem tolerantiam, cum tolerãtia pietatem, cum pietate amorem in fratres, cum amore in fratres caritatem, hæc enim ſi vobis aſſunt, & in vobis abvndant, neque ſegnes, neq; parum idoneos, ſeu frugis expertes vos conſtituunt ad cognitionem Domini noſtri IESV Chriſti. Quo loco S. Petrus manifeſtè oſtendit bonis operibus exercendis operam dandã, ob cauſam vnam ne quæ adeſt nobis gratia fidei & bonæ conſcientiæ, vel amittatur, vel polluatur, ſed hæc po-
Sap. 1. tius vt cõſeruetur, Spiritus enim ſanctus fugit idololatras & recedit à prophanis, & malus impurusq; ſpiritus reuertitur in vacuam & ocioſam
Matt. 12. domum. Quicunq; etiam conſcien-
Luc. 11. tiã bonã vel amittit vel polluit, quid is laudabile, Deóve grati aut precioſi operis præſtare poterit? quomodo precibus operã dabit? Deinde propter hanc alteram cauſam, vt in hac gratia magis magiſq; proficiamus, & augeſcamus, Dominoq; cum creditis noſtræ fidei talentis negotiando lucremur.

cremur. De quo S Paulus dicit: Nũc omnes aperta facie gloriam Domini tanquam in ſpeculo intuẽtes in eiuſdem imaginis formam transferimur ſeu mutamur, de gloria in gloriã, hoc eſt, intuemur Chriſtum, qui eſt gloria & imago patris, et in hoc operam damus, vt ad imaginis huius ſimilitudinem conformemur, per Spiritum ſanctum, qui nos ad hoc inflammat, donec imago hæc, per beatam reſurrectionem, perfectionem ſuam acquirat. Præterea etiam propter promiſſa tam huius vitæ quam æternæ præmia, bona opera præſtari exercerique debent, de quo multæ ſunt & copioſæ in ſacra ſcriptura mentiones, Atque vt ad ea præmia conſequenda, per fidem in Chriſtum, luculentiorem aditum habeamus, & inprimis ad regnũ cœlorum æternum, ſicut S. Petrus teſtatur cũ inquit: Hæc ſi feceritis, nunquam offendetis, ita enim luculente vobis ingreſſus ſuppeditabitur in regnum æternum Domini & ſaluatoris noſtri IESV Chriſti. Inprimis autem

2. Cor. 3.

2. Pet. 1.

per opera miſericordiæ, quibus proximo commodatur, quibusq́ ei conſulitur, & quibus ille indiget, qualia ſunt, eleemoſynas dare, viſitare ægrotos, & eos curare vel miniſterio ſuo eis præſtò eſſe, docere ſimplices, conſilio & opera iuuare alios, offenſas remittere, & ſimilia, quæ omnia habent promiſſiones benignitatis diuinæ & præmiorum, ad quæ præſtanda Chriſtus Dominus hortatur his
Luc. 6. verbis; Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt. Date & dabitur vobis, remittite & remittetur
Luc. 12. vobis: & alibi, vendite bona veſtra & date Eleemoſynas, parate vobis crumenas quæ non contrahunt vetuſtatem, theſaurum in cœlis qui non deficiat, quò fur non accedit, & vbi tinea
Luc. 14. nihil corrumpit. Item cum epulũ apparas, inuita pauperes, membris detortis qui ſunt, ſeu viciatis, claudos, cæcos, & beatus eris, quoniam nihil poſſunt tibi rependere, rependetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.
Math. 25. Item, Eſurij, ſitij, hoſpes, nudus, ęgrotus,

tus, in cuſtodia carceris fui, & præſto mihi fuiſtis miniſterijs veſtris in omnibus, Amen dico vobis, quatenus hæc præſtitiſtis vni alicui minimo ex iſtis fratribus meis, mihi præſtitiſtis, Adeſte benedicti patris mei, poſſidete hæreditatem regni parati vobis ab initio mundi.

Ex his manifeſtum fit & planum, opera ea quæ ex fide fiunt, Deo placere, & luculenta gratia affici, omnis generis bonorum, & benedictionis, tam in hac vita, quam in futura, compenſatione. Poſtremò concluditur hęc doctrina commonefactione tali, Neminē hæc pietatis Chriſtianę opera perfectè aut mandata Dei ad plenū præſtare poſſe, nec reperiri quenquàm, quem hac in parte nihil deficiat, & qui peccati expers ſit, ſicut ſcriptum eſt, Non eſt homo tam iuſtus in terra qui rectè agat, & non peccet. Vnumquenq; igitur in Chriſto IESV in gratia huius, precioſo ſacrificio & merito, per fidem & iuſtificationem ipſius, quę eſt in remiſſione peccato-

Eccle. 7.
3. Reg. 8.
1. Ioh. 1.
2. Par. 6.

rum poſita, quærere debere perfe-
ctionem ſuam, eáq; frui, ſi modo nihil
in ſe velit eſſe quod damnationẽ me-
reatur, Solus enim Chriſtus perfectio
eſt, & impletio legis, vita & iuſticia,
& quicunq; per fidem eum accipiũt,
atq; ipſo prorſus freti ſunt, his omnia
Rom.8. peccata, quæ habent, ſanguine Chri-
ſti abluuntur, vt deinceps non metu-
ant condemnationem. Sic enim Pau-
lus ſcribit: Nulla ergo iam eſt conde-
mnatio ĳs qui ſunt in Chriſto IESV,
qui non ſecundum carnem, ſed ſecun
1.Cor.1. dum ſpiritũ ambulant. His enim Chri
ſtus factus eſt à Deo ſapiẽtia, iuſticia,
ſanctificatio, & redemtio.

CAPVT VIII.

De ſancta Eccleſia, & de pia conſtitutione atq; adminiſtratione huius & diſciplina. Item de Antichriſto.

OCtauo loco docetur de ſancta, Catholica, Chriſtiana Eccleſia agnoſcenda, & primum quidem ſan-

ctæ

ctæ Eccleſiæ fundamentum & caput eſſe IESVM Chriſtum ipſum ſolum, vna cum vniuerſo merito gratiæ & veritatis, ad vitam æternam, ſuper quem, & à quo, omni tempore per Spiritum ſanctum, verbum Dei, & ſacramenta, hæc extruitur, ſecundum ſententiam eius quod Chriſtus dixit Petro, ſuper hanc petram, de qua nimirum tu veram cõfeſſionem edidiſti, extruam Eccleſiam meam. Et ſanctus Paulus dicit, Aliud quidem fundamẽtum nemo ponere poteſt extra id quod poſitum eſt, qui eſt IESVS Chriſtus. Et alibi, eúmque conſtituit caput Eccleſię, ſupra omnia, quę eſt corpus ipſius & plenitudo eius qui complet omnia in omnibus. *Math.16.* *1.Cor.3.* *Eph.1.*

Ex his docetur hoc credi, teneri, & confitendo edi, ſanctam Catholicam vniuſcuiuſque temporis pręſentem Eccleſiam, quę in terris militat, eſſe communitatem vniuerſorum Chriſtianorum, quæ in toto orbe terrarum hinc inde diffuſa eſt, & per ſanctum Euangelium ex omnibus gentibus,

familĳs, linguis, ordinibus, & ætatibus, in vna fide in Chriſtum Dominum, ſiue trinitatem ſanctam, congregatur, ſecundum illum S. Iohãnis ſermonem, qui ſic ait: & vidi turbã mul- Apoc. 7. tam quam numerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, populis & linguis, ſtantem coram ſolio & coram agno. Hæc verò Eccleſia, etſi dũ hic in area Domini late patentis orbis terrarũ, & quaſi in vno cumulo promiſcuè collecta iacet, vtrumque adhuc, tam triticũ purum quam paleas, pios Dei & impios mundi filios, viua & mortua membra, miniſtrorum & populi, in ſe continet, vbi tamen ſit quam minimè contaminata, aut puriſſima, etiam de infra ſcriptis ſignis cognoſci poteſt, Nimirum vbicunq; Chriſtus in concionibus ſacris docetur, ſancti Euangelĳ doctrina purè plenecꝫ annunciatur, ſacramenta de Chriſti inſtitutione & mandato, ſententia & voluntate, adminiſtrantur, atq; Chriſti fidelis populus ea percipit & his vtitur, & per hæc in vnitate

fidei

fidei & caritatis, in vinculo pacis ſeſe congregat, in vnum coniungit, & ſuper Chriſtũ coædificat, Ibi igitur ſancta eſt Eccleſia, domus Dei, templa Spiritus ſancti, viua membra, partes cœleſtis Hieroſolymæ, corpus Chriſti ſpirituale, & artus coniuncti, quos inter ſe aptat & connectit vnum caput Chriſtus, Spiritus vnus regenerationis, vnum verbum Dei, eadem & ſincera ſacramenta, vna fides, vna caritas & ſancta cõmunio, vnum vinculũ pacis, ordinis, diſciplinæ, & obediẽtiæ, ſiue magnus ſit numerus, ſiue paruus huius populi, ſicut Dominus teſtatur, vbi duo aut tres congregantur in nomine meo, (in quacunq; gente & natione & quocunq; loco hoc fiat) ibi ſum in medio horum: Et contra, vbi Chriſtus & Spiritus Chriſti non habitat, neq; ſanctum Euangelium locum reperit qui ei cõcedatur, etc. ſed contra manifeſti errores & vita ethnica in pleno curſu ſunt, & ſuperando graſſantur, ibi adeo etiam pollutam Eccleſiam eſſe neceſſe eſt, vt *Math.15.*

Chriſtus eam pro dilecta ſponſa ſua
Rom.8. non ſit agniturus, Cum nemo ſit Chriſti, qui ſpiritum Chriſti non habet. Vnuſquiſq; etiam Chriſtianus ſolicito ſtudio, hanc, & veram quidem talem Eccleſiæ ſanctæ partem, inquirere tenetur, & poſtquam inuenit, cum ea ſanctam communionem & ſocietatem coniungere & tueri, ſicut hoc altera pars illius capitis de Eccleſia in ſymbolo noſtro Chriſtiano demonſtrat, vbi profitemur nos credere cōmunionem ſanctorum: Atq; omnino cum hac communitate ſeu cœtu paruo populi Dei veram Spiritus Chriſti coniunctionem & concordiā tueri debet, omnia membra amore & beneuolentia proſequi, obedientiam huic præſtare, atque omnibus à partibus commoda eius & emolumenta vt procuret laborare, & in veritate conſenſionem cum hac colere, ſchiſmata, ſeditiones & ſectas aduerſus veritatem nullo modo per contumaciam commouere. Ad quam rem Apoſtolus vniuerſos hortatur cum dicit,

cit: Ita ambulate, ſeu obuerſamini, Epheſ.4.
quemadmodum dignum eſt loco &
vocatione veſtra, cum omni ſubmiſ-
ſione & manſuetudine, animóque leni
& non irritabili, tolerantes inter vos
vnus alterum,& ſtudete ſeruare vni-
tatem Spiritus in vinculo pacis, vnũ
corpus eſt & vnus Spiritus, ſicut &
vocati eſtis in vnam ſpem vocationis
veſtræ, vnus Dominus, vna fides, v-
num Baptiſma, vnus Deus & pater
omnium. Et rurſus, vnuſquiſque no- Rom.15.
ſtrum proximo obſequatur in bonũ
ad ædificationem. Item, Nihil com- Phil.2.
mittite per contentionem, aut inanis
gloriæ cauſa: Item, Ne ſint inter vos Rom.12.
diſſidia. Qui igitur ſecundũ hæc pr ę- 1. Cor.12.
cepta in hac vita ambulat, is eſt vnũ
verum & viuũ ſanctæ Eccleſię mem-
brum, quod fidei & caritatis fructum
fert: qui verò ſpiritum fidei & cari-
tatis in communitate ſancta amittit,
eum neceſſe eſt eſſe membrum mor-
tuum.

Simul cum his noſtrarũ Eccleſia-
rum miniſtri de ſua cõmunitate hoc

ſentiri docent, quod & de quacunq; Chriſtiana alia, ſiue magna, ſiue parua, ſentiendum eſt, Quod ipſa ſola ſcilicet nō ſit Catholica illa ſancta Chriſtiana Eccleſia, ſed tantum vna pars huius, ſicut de Corinthiaca Apoſto-
1. Cor. 12. lus ſcribit, vos eſtis corpus Chriſti, & membra huius, ſinguli pro ſua parte.

Docent etiã adminiſtrationis conſtitutionem & ordinem certum in ſacra Eccleſia præſtandum eſſe, Abſq; enim ordinis conſtitutione & adminiſtratione externa, non poteſt bono loco eſſe, aut bene cum ipſa agi, ſicut & cum nulla alia, etiam minima communitate.

Hæc verò ordinis conſtitutio pręcipuè eſt in hoc poſita, vt & ordinariè vocentur & legitime conſtituantur ij, qui munera debita in hac adminiſtrent, à minimis incipiendo, & ad mediocris generis quæ ſunt, & ſumma vſq; procedendo.

Poſtea vt ex vniuerſis & ſingulis vnuſquiſq; locum in quem vocatus eſt, & quaſi excubias ſuas, bene adminiſtret,

niſtret,& vigilantiam præſtet, neque quicquam in ſe patiatur requiri, neq; etiam pro ſuo arbitrio ex hoc ſe ſubducat, aut metas huius tranſgrediatur, aut alienis curationibus ſe implicet. Atq; inſuper vt omnes inter ſe vnus alteri ſe ſubijciant, & obedientiā præſtent vniuerſi, à minimo vſque ad maximū, quiſq; ſuo loco in quem vocatus eſt, & de affectu caritatis, ſuáq; ſponte, non coactus hoc faciat, Chriſti & ſalutis æternæ cauſa, pro eo vt Apoſtoli alijq; ſancti de re docuerūt, 1.Pet.3.
& de exemplo horum, quo Eccleſias Phil.2.
ſuas conſtituerunt, próq; eo etiam quod iura vetera ſeu decreta ſubijciunt, Id quod noſtri inter ſe, re ipſa exhibent & præſtāt. Hæc laudabilis Eccleſiæ adminiſtrandæ conſtitutio, etiam cum diſciplina legitima, id eſt, animaduerſionum ſeueritate diuinitus inſtituta quam coniunctam habeat, diligenter exerceri debet, ſic ſcilicet, vt impij, & qui in manifeſtis peccatis ſine pœnitētia, & obturato corde verſant, neq; Deo & verbo ipſius

obedientiam præſtantes peccatores, qui in Eccleſia magnorum ſcandalorum authores ſunt, neque poſt debitam, fidelem, ſufficientemq; commonefactionem reſipiſcunt, aut meliores fiunt, hi igitur vt tandem pœna Eccleſiaſtica, quæ vulgo Bannus aut Excommunicatio, ſeu Anathematiſmus nominatur, non tamen politica potentia adhibita, ſed virtute verbi & mandati Chriſti, publicè puniantur, & ex ſancta communitate remoueantur, atque vt æquè hac animaduerſione in omnes animaduertatur, nulla ratione aut reſpectu vllo habito perſonarum, cuiuſcunque illi ordinis ſint, politici aut Eccleſiaſtici, ſecundum ſententiam doctrinæ Chriſti, qui dicit, ſi peccat frater tuus aduerſus te, tum ito & caſtiga eum inter te & ipſum ſolos, ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum, ſi non audit te, aſſume ad te adhuc vnum aut alterū, ſi hos non audit, dic Eccleſiæ, ſi hanc non audit, habeto eum pro Ethnico & Publicano. Et S. Paulus, vna cum

Matt. 18.

colle-

collegis, prorſus expreſſis verbis de hoc mandauit, cum ſcribit, Præcipimus vobis fratres in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, vt abducatis vos ab omni fratre, qui vitã degit ordinis ſeu diſciplinæ expertem, & non ſecũdum traditam doctrinam quam à nobis accepit. Et alibi dicit: Tollite è vobis ipſis malum illum. Etſi hoc etiam non diſſimulandum, omni tempore in Eccleſia multos fuiſſe qui ſpeciem præ ſe ferrent Chriſtiani hominis, & hypocritæ eſſent nequam, aut peccatores occulti, à pœnitentia alieni, atque hodie etiam adhuc eſſe tales, atque futuros deinceps vſq; dum hic mundus eſſe deſinat, quales neq; per hanc diſciplinã Chriſti caſtigantur, neque facilè excommunicari, aut penitus ſeparari ab Eccleſia poſſunt, ſed ſoli Chriſto, paſtori principi, & aduentui huius, reſeruandi ſunt & committendi. Sicut Dominus de his ipſe dicit, quod Angeli in nouiſſimo die primum, tales à iuſtis ſeparaturi ſint, & coniecturi in fornacem

2. Theſ. 3.

1. Cor. 5.

Matt. 13.

igneam, vbi erit ploratus & ſtridor dentium.

Dan.9. Math.25. Mar.13. 2.Theſ.2. 2.Pet.2. Simul cum his docetur, quod Antichriſtus ille ſceleratus & nequam, in templo Dei in Eccleſia ſedeat, de quo Prophetæ, Chriſtus Dominus, & Apoſtoli ipſius prædixerunt, & vt ab hoc caueretur monuerunt, quo vitarent eum ſimpliciores ex fidelibus, neq; ab hoc ſeduci ſe paterentur.

Agnoſcenda autē eſt duplex Antichriſtica peruerſitas, improbitas & ſeductio. Prima eſt mentis & ſententiæ peruerſitas, ſeu falſæ doctrinæ, quam infert ſententiæ Chriſti Domini noſtri & ſacræ ſcripturę prorſus cōtrariam, de quo ſic refert Apoſtolus, 1.Tim.4. 2.Tim.4. 2.Pet.3. Erit tempus quando ſalutarē doctrinam non ferent amplius, ſed pro ſua libidine ipſi ſibi doctores accumulabunt, pro eo vt aures ipſis pruriunt, & auertent aures à veritate, & cōuertent ſe ad fabulas,

Alterum malum ſeu ſcandalū Antichriſticum, eſt vita praua & peruerſa exempliq; peſſimi, quæ plena eſt hor-

horribilium peccatorũ, nocentis turpitudinis, omniſq; generis viciorum, quæ in Eccleſia publicè exercentur, & impune quidem ſine vlla animaduerſione, de quo Apoſtolus dicit, Illud autẽ ſcito, fore, vt vltimis diebus exiſtant tẽpora difficilia, Erunt enim homines ſui amantes, auari, glorioſi, ſuperbi, maledici, parentibus nõ obedientes, ingrati, profani, ſenſus amoris inſiti erga ſuos expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites ſeu feri, boni non amantes neq; ſtudioſi, proditores, proterui, inflati, voluptatum amantes magis quã Dei, qui ſpeciem habent ſeu ſimulacrum pietatis, virtutem autem eius abnegant: & hos declina. *2.Tim.3.*

De quo tempore & Chriſtus prædicit hæc: Et tunc multi offendentur exemplis, & inter ſe proditiones & odia exercebũt, & exiſtent multi falſi prophetæ, & ſeducent multos, &, quod multipliciter augeſcat improbitas, refrigeſcet caritas in multis: qui verò vſq; ad extremũ ſuſtinuerit ſeu *Matt.24.*

pertulerit,ſaluus erit.Accipienda autem hæc verba de ijs qui in doctrina Chriſti perſeuerant, perferentes aduerſa omnia quibus attentantur. Et

Math.18. alibi exclamat Chriſtus, Væ mundo

Math.11. propter ſcãdala: &, Beatus qui in me non offenditur.

CAPVT IX.

De Docentibus in Eccleſia, & qui ei præſunt.

NOno loco docetur de agnoſcẽdis animarũ paſtoribus,ſeu munerum ſacrorum in Eccleſia ſancta legitimis adminiſtris,ſecundum diuerſarum curationũ gradus & ordines. Et primum quidem,hos eſſe ſacræ cõmunitatis Eccleſiaſticæ præcipua membra, & vicarios Chriſti, id eſt,

Math.10. qui locum huius obtineant, qui hos

Luc.10. audit,audit Chriſtum,qui hos reijcit,

Iohan.13. reijcit Chriſtum & patrem ipſius cœ-

1.Cor.4. leſtem. His enim miniſterium verbi & Sacramentorum legitime eſt concreditum. Non autem miniſtri ſua ſpon-

ſponte procurrere ad conditionem il lam debent, ſed ſecundum Domini & Apoſtolorum exemplum legitimè debent ordinari & conſtitui, Hoc modo, vt ad munerum ſacrorum adminiſtrationem ex orthodoxo & Deum timente populo eiuſmodi viri deligantur & vocentur, qui ſint firmi & potentes in fide, timentes Deum, & dona habeant ad miniſterium neceſſaria, & vitæ ſint honeſtæ atque inculpatæ. Itemq́ vt hi ante omnia, an tales ſint explorentur atq́ examinentur, & poſtea à ſenioribus, precibus & ieiuniȷ̃s factis, manuum impoſitione confirmentur ſeu approbentur. De hoc loquitur autor Epiſtolæ ad Hebræos, omnis pontifex ex hominibus ſumitur (fidelibus ſcilicet & qui ſunt ſpirituale ſacerdotiũ) Et Paulus Timotheo proponẽs exemplum ſuum, dicit: Quæ audiuiſti ex me multis teſtibus, ea committe fidelibus hominibus, qui ſint idonei ad alios etiam docendos. De talibus ſacerdotibus ſeu miniſtris, hiſq́ creandis,

Math.10. *Mar.1.6. & 3.* *Act.1.* *1.Tim.3.* *Hebr.5.* *2.Tim.2.*

conſtituendis & conſecrandis, quomodóq; ordinatio horum adminiſtrari debeat, docet Apoſtolus luculentè

1.Tim.3. & planè, ſcribens Timotheo & Tito.

Tit.1. Nulli igitur apud nos permittitur miniſterij munere fungi, aut vllum ſacrum Domini munus adminiſtrare, niſi hoc primæ Eccleſiæ more, atq; diuinitus cõſtituto ordine, ad eam functionem perveneric, vocatusq; ſit &

Diſt. 24. cõſtitutus: Quod & de veteribus Ec-

cap. Epi- cleſiæ canonibus cognoſcere manife

ſcopus. ſtè licet. Sanctus etiã Cyprianus, for-

Lib.1. mam ſacerdotes ordinãdi deſcripſit.

Epiſt.4. Secundum hæc inferioris gradus miniſtri, præcipuè qui Diaconi nominantur, ſatis longo tempore apud ſeniores noſtros detinentur atq; exercentur, & quã ſerio hoc agant, fidesq; & induſtria ipſorum tentatur atq; exploratur, de primæ Eccleſiæ atq; etiã Chriſti ipſius exemplo, qui per triennium apud ſe retinuit diſcipulos, & Apoſtoli idem fecerunt de alijs, quo poſtea ex ijs ad ſuperiores gradus maioresq; functiones adminiſtrandas,

pij,

pij, & luce diuina illuſtrati viri, ſumerentur atq; conſtituerentur, qui quod idonei & illo loco digni eſſent, tam à vulgo, quam à ſenioribus ipſorũ teſtimonium haberent.

Simul cum his docetur, functione illius muneris, in quod legitimè ſint collocati, obligari ipſos ad hoc, vt pro animabus hominum, qui fidei ipſorum concrediti ſunt, proq; ſalute harum æterna, curam gerant, doctrináq; verbi diuini, & ſacramentis miniſtrandis, de Chriſti ſententia & inſtitutione, fideliter ipſis inſeruiãt, ad omnem virtutem exercendam exemplo eis ſint atq; inuitamẽto, ad Deum pro his preces faciant, è peccatis & erroribus eos educant, atq; de voluntate Dei, in ſacris literis diligenter legendo, & aſſiduè commentando, inquirant, & hanc ſcrutentur, quemadmodum & Apoſtoli ad hæc omnia hortantur. S. Petrus ita ſcribit, Paſcite gregem Dei, qui penes vos eſt, inſpectionem ei præſtantes, nõ coacti, ſed volentes, neq; lucrũ turpe ſectan- 1. Pet. 5.

tes, ſed animo promto. Item Paulus Timotheo præſidi & Epiſcopo ſcri-
2.Tim.4. bit: Tu verò ſobrius eſto & vigila in rebus omnibus, tolerans eſto mali, præſta munus Euangeliſtæ, miniſterium tuũ exequere luculentè vel ple-
1.Tim.4. nè, ſeu plena opera. Item, Eſto exemplum fidelibus, in ſermone, in conſuetudine vitę, in caritate, in ſpiritu, in fide, in caſtitate: dum veniam, inſta legendo, hortando, docendo, ne negligas donum gratiæ quod in te eſt, datum tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum, facta à ſenioribus, hæc cura, in his eſto, vt quid proficias manifeſtum fiat apud omnes, aduerte animum tibi ipſi & doctrinæ, & in his permane, hoc enim ſi feceris, & ipſe te conſeruabis, & eos qui te audiunt. Tales miniſtri, ſanam etiam & ſalutarem doctrinam præſtare debent, quam à Chriſto & Apoſtolis ex ſacra ſcriptura mutuentur, eamq; conſentientibus animis in vno ſpiritu concionando docere, ſecundum ſancti
2.Tim.1. Pauli inſtitutionẽ, qui ſic ſcribit, Retine

tine informationem ſeu formulam ſanorum verborum, quæ à me audiuiſti, in fide & in dilectione, quæ eſt in IESV Chriſto.

Et rurſus: Tu verò permane in ijs quæ didiciſti, tibiq; concredita ſunt, qui nouiſti à quo didiceris, quodq; à puero ſacras literas tenueris, quę poſſunt te inſtruere ſapientia ſalutari per fidem in IESVM Chriſtum. Et alibi: Manda, inquit, quibuſdam ne quid aliud doceant. *1.Tim.1.*

Mentio autem fit peculiariter eius, quod Eccleſiarũ gubernationem adminiſtrãtes ſpirituale͂, atq; in his operam nauantes, non debeant, neq; ipſi, neq; per alios, politicam potentiam aut coactionem, ad fidem adigendo vſurpare, neq; in fidem & populum Dei dominationem exercere, ſecundum Chriſti & Apoſtolorum doctrinam. Dominus Apoſtolis, atq; ita omnibus fidelibus & veris concionatoribus Euangelij ſic dicebat, Scitis eos qui principes ſunt populorũ, dominatum habere in eos quorum ſunt *Matt.20.*

Nota.

principes, & qui ſunt magni Domini, potentiam exercere in populos ſubiectos, Inter vos autem non ita erit, ſed ſi quis inter vos magnus eſſe voluerit, ſit famulus veſter, et qui vult inter vos primus eſſe ſeu eminere, ſit miniſter veſter, Quemadmodum & filius hominis non venit vt miniſtretur ei, ſed vt ipſe miniſtret alijs, impendátq; animam ſuam ad precium quo redimantur multi. Item Petrus

1.Pet.5. dicit: Neq; vt dominatum obtinẽtes in populum, ſeu hæreditatem Domini, ſed vt ij qui exemplo ſint gregi. Et

2.Cor.1. Paulus: Non quod dominemur in fidem veſtram, ſed quia adminiſtri ſumus gaudij veſtri. Aduerſantes autẽ, leni animo tolerandi ſunt, & ſacrarũ literarũ veritate nitentibus argumentis refutandi & conuincendi, pérq; ſalutarem doctrinã vt meliores ſe reddi patiantur laborãdum, ſicut de hoc

2.Tim.2. Tit.3. Apoſtolus præcipit.

Hac de cauſa bonum cõſultúmq; eſſe iudicatur (quantum omnino per conſcientiam fieri poteſt) vt ſacerdo-

tes,

tes,quo tanto diligẽtius in ſacrarum literarum ſtudio ſe exercere, & Eccleſię Dei expeditius & commodius inſeruire poſſint, ab omnibus politicæ conſuetudinis negocijs & oneribus liberi ſint & vacui,cum pro fide Euãgelij Dei propugnare eos oporteat, & ſi fieri poteſt etiam à coniugio liberi, ideo vt ad ſaluti populi inſeruiendũ paratiores ſint & liberiores, multáq; detrimentoſa impedimenta ab his auertantur,quæ cum illo vitæ genere cõcurrunt,& ſæpè miniſterij debitas operas detinent atq; morantur. Quibus de cauſis noſtri ad miniſterium Eccleſiaſticum expeditiores,magiſque idoneos eſſe ducunt, cœlibes, eos tamen cœlibes, qui hoc peculiare donum à Deo conceſſum habent, vt tales manere poſſint,atq; ita ſe miniſterio dedere. Hæc res apud nos ita vt debet celebratur, non tamen neq; pro peccato habetur, neq; quiſquam hoc auerſatur, ſi ſacerdotes iuſtis ſeu legitimis de cauſis coniuges ſunt aut fiunt. Sanctus enim Paulus docet,vt

1.Tim.3. tales ad hoc munus deligantur, imo
Tit.1. ipſe etiam S. Spiritus hoc concedit,
vt Epiſcopi & presbyteri legitimas
& honeſtas vxores habeant, nullóq;
modo permittit, eis contra ordinem
& diſciplinam Dei, concubinas ale-
re, aut alioqui vitam degere quæ ſcan
dalum habeat, de quo & ſic ſcribitur,
1.Cor.7. Melius eſt matrimonium contrahe-
re quam (tam multis peccatis, tantáq;
turpitudine) vri, propter quæ pecca-
ta, nõ tantum ſacerdos, ſed vnuſquiſ-
que etiam Chriſtianus, ſine vllo per-
ſonæ reſpectu, & deberet & debet
meritò ex Eccleſia excommunican-
do eijci.

Præterea docetur, Populum vni-
uerſum talibus legitimis, piis & fide-
libus animarũ paſtoribus ſubiectio-
nem præſtare debere, amoris ſtudio
erga ipſos, quodq; optima de his ſibi
polliceri atq; indubitato perſuadere
debeant, eis parére, eorum opera in
rebus ad ſalutem pertinentibus vti,
debito hônore eos proſequi, omniá-
que cõſentanea officia, ad quæ ſecun
dum

dum verbum Dei ipſis obligantur, præſtare, idq; de doctrina Chriſti, qui dicit, Qui vos recipit, me recipit, & qui vos audit, me audit. Itēq; Epiſtola ad Hebræos: Obedite ijs qui vos præeunt ductu ſuo, & concedite eis ſubiectè: excubant enim illi pro animabus veſtris, vt qui pro his rationē ſunt redditurí, & Apoſtolus, qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, inprimis ij qui occupantur in verbo & doctrina. *Math.10. Luc.10. Iohan.13. Hebr.13. 1.Tim.5.*

Præter hæc etiam de debito victu, & quibus ad corporis curã opus eſt, proſpici eis debet, ſecundum Domini conſtitutionem, de qua Paulus ſic dicit, Ita Dominus conſtituit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio victum habeant. *1.Cor.9.*

Vt auertat autem periculum ocioſæ & ſecuræ, atq; ita Sodomiticæ vitæ, & exemplo ſint gregi credito, atq; vt de ſenſu onerum in vita communi miſeriam hominum intelligere diſcant, & hoc modo affici cōdoleréq; poſſint aliorum miſerijs, his igitur *Ezec.16. Pſal.73.*

de cauſis hoc docetur, vt ij quorum ea eſt virium facultas, in primis quibus nondum maximæ & laborioſæ ad populum curationes incumbunt, ipſi ſibi manibus ſuis victum pariãt, ne Eccleſiis, præſertim inter initia æ-dificationum atq; inſtaurationũ ſuarum, aut perſecutionis etiam diuturnæ temporibus, atq; alioqui propter

2.Cor.6. imbecilliores, oneri ſint, neque ocio
1.Theſ.2. inani, voluptuario & perdito locum
2.Theſ.3. cõcedant, quippe qui ſancti Pauli do
ctrinam fideliter ſequantur, quibusq; ante oculos ſit ſermo Domini, dicen
Act.20. tis, Beatius eſt dare quam accipere.

Quod ſi verò ex præſidibus his aliquis in peccatũ aut errores labatur, aut in munere ſuo curando negligentior ſit, is per ordinariam & legitimã Eccleſiæ diſciplinam in viam reduci caſtigariq; debet. Sin vero reſipiſcere nolit neq; ſanationẽ admittere, tum igitur primũ à muneris ſui curatione & miniſterio remoueri, & poſtea è

Math.25. cõmunitate Eccleſiæ, perceptioneq;
Math.18. ſalutis, tanquam ſeruus futilis, membrum

brum offenſionem inducens, palmes *Iohan.15.* aridus, & ſal fatuus, eijci ſeu extermi- *Matth.5.* nari, de quo Dominus dicit: nullius eſſe hũc ſalem vſus amplius. Id quod & Paulus docet, cum inquit, Eos qui *1.Tim.5.* peccant, (intelligit autem ex presbyteris qui ſunt) corã omnibus argue, ſeu caſtiga, vt & cæteri in metu ſint.

Populus autem erga tales vel degeneres, & erroribus implicatos doctores, vel tetros etiam nõ reſipiſcentes atq; excommunicatos presbyteros, ita ſe gerere debet, ſicut ſacra ſcriptura demonſtrat. Primum autem dicit Chriſtus, Cauete vobis à falſis pro *Math.7.* phetis, qui veniunt ad vos cum habitu ouili, intus autẽ ſunt lupi rapaces, ex fructibus ipſorum agnoſcetis eos. Et Paulus, hortor autem vos fratres *Rom.16.* vt obſeruetis ſpeculãdo diſſidiorum authores, & qui ſcandala mouent cõtraria ei doctrinæ, quã vos didiciſtis, et hos declinate, Qui enim tales ſunt, non ſeruiunt Domino noſtro IESV Chriſto, ſed ventri ſuo.

CAPVT X.

De Verbo Dei, ſeu Euangelio ſancto.

CVmq́ꝫ Eccleſiæ miniſtris admi-
1.Cor.4. niſtratio noui teſtamenti, ver-
2.Cor.3. búmqꝫ & ſacramenta, legitimè con-
credita ſint, & labia horum doctrinã
Malac.2. cuſtodire debeant, vt ex ore ipſorum
lex quæratur, nunc deinceps in hoc
decimo capite amplius docetur, quid
ſit verbum Dei & ſacrum Euangeliũ.
Eſt autem verbi Dei Euangelíiqꝫ con
cio, verum gratię miniſterium, à Chri
ſto Domino inſtitutum & mandatũ,
in quo plena perfectáqꝫ Dei volun-
tas de æterna reconciliatione, ad ſa-
lutem neceſſaria, ínqꝫ ſacra ſcriptura
teſtata facta, omnibus populis an-
nunciatur, & concionando prædi-
catur. Hanc doctrinam mandabat
Chriſtus diſcipulis ſuis huius ſenten-
Mar.16. tiæ verbis, Obite orbem vniuerſum,
& prædicate Euangelium omni crea
turæ.

Hanc profitetur Petrus corã Cor-
nelio

nelio cum dicit, Mandauit autem no- Act.10.
bis vt prædicaremus ad populum,&
teſtatum faceremus, eſſe hunc eum,
qui deſtinatus ſit à Deo, vt iudex ſit
viuorum & mortuorum. De hoc at-
teſtantur omnes Prophetæ remiſſio-
nem peccatorum accipere per no-
men ipſius vnumquenq; qui credat
in eum.

Hoc miniſterium ſublimius eſt, &
maius magíſque ad ſalutem neceſſa-
rium, quam ſacramenta ſunt, quod
teſtatur ſummi illius Apoſtoli S.Pau-
li ſententia, quę talis eſt, Neque enim 1.Cor.1.
ablegauit me Chriſtus (ad hoc ſcili-
cet præcipuè agendum) vt baptiſa-
rem, ſed vt Euangelium annunciarē:
fides enim tantum per Euangelium
purum, & conciones huius, intus in
corde à ſpiritu ſancto ſeritur, atq; in-
de etiam vera ſententia Dei & Chri-
ſti, de omnibus rebus ſalutaribus, at-
que adeò de ſacramentis ipſis, conci-
pitur, exiſtit & acquiritur. Omnino
ſanè apud eos, qui iam per ætatem
intelligentia vti poſſunt, apud hos

igitur vt concio Euangelij omnia ſacramenta antecedat oportet. Cuius rei euidens argumentum cernere licet in illis tribus millibus, qui à Petro
Act. 2. conuertebantur, Itemq; in Cornelio & cubiculario, vt ſecundum exem-
Act. 10. plum Philippi interrogari oporteat, Credis toto corde? tum fieri poterit, vt ſcilicet tibi, cui vera fides in cor in-
Act. 8. ſita eſt, ſacramentorum communicatione inſeruiatur. Abſq; enim audi-
Rom. 1. tione verbi Dei, quæ eſt potētia Dei ſalutaris, nemo ad fidem & ſalutem ſciens peruenit, ſecundum dictum
Rom. 10. Pauli, Fides ergo ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei. Et iterū,
Ibidem. quomodo credunt, de quo nihil audi uerunt? Itaq; in hoc ſummam operā concionatores noſtri impendunt, vt in cœtibus Eccleſiaſticis noſtris verbum Dei, ſincerum ab omnibus mixtionibus & hominum commentis, populo fideliter proponant: qua de cauſa etiam, non tantum ex Euangelio illas certorum temporum lectiones; ſed & reliqua ſacræ ſcripturæ, anti-

antiqua conſuetudine, lingua vernacula & populari, quæ ab omnibus intelligatur, recitant, populumq́ ad verbum Dei ſerio ſtudio audiendum & cœtus Eccleſiaſticos frequentandū, exhortantur, vt diligenti doctrina Euangelij, & concionum huius inculcatione, pœnitentiam & fidem ante doceāt populum, quam de ſacramentorum vſu atq; adminiſtratione, atq; hoc modo eum ad ſacramentorum perceptionem præparent, & poſtea etiam, tam inter adminiſtrationem ſacramentorum, quam poſt hanc, de omnibus quæ Dominus mandauit cō uenienter eum inſtituūt, ijs inprimis quæ ad honeſtā profeſſionemq́ Chriſtianam decentem vitam pertinent, ſicut dicit: Docete eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis. *Math.28.*

Hoc loco etiam peculiari cum diligētia, ita vt res poſtulat, docetur de diſcrimine, quod obſeruādum ſit inter verbum ſeu doctrinam atq; opus legis, & verbum & efficacitatem S. Euangelij. Verbum ſeu miniſterium

legis & teſtamenti veteris, eſt verbũ mortis, metus, & literæ, verbúmq; irę & maledictionis, ſed noui teſtamenti, quod eſt S. Euangelij verbum, miniſterium eſt fidei, vitæ, & ſpiritus claritatis ſeu gloriæ per Dominum IESVM Chriſtum, verbum gratiæ, noui fœderis, verbũ conſolationis & nuncium pacis. De vtroq; ſcribit Apoſto-
2.Cor.3. lus, Litera occidit, ſed ſpiritus viuifi-
Iohan.6. cat. Et Chriſtus, verba quę loquor, ſpiritus ſunt & vita.

CAPVT XI.

De Sacramentis in genere.

DE ſacramentis docetur, quod ſint externa, terrena, vt quæ ex elementis cõſtant, & in oculos incurrentia ſigna, verbo Dei conſecrata, atq; eodem pronunciante ad hoc deſtinata, vt ſignificent & teſtentur illã ipſam ſpiritualem & nõ incurrentem in oculos gratiam veritatémq;, cuius nomen habent, & quod ſunt etiam ſacramentaliter.

Hæc

Hæc nullus homo inſtituit, neque inſtituere poteſt, ſed Dominus & Deus ipſe Chriſtus IESVS, cui Pater omnia in manus tradidit. Ioh.13.

Inſtituit autem & conſtituit ea, magnis & ſalutaribus, Eccleſiæq́ ſuæ & omnibus credentibus neceſſarijs de cauſis, Nimirum, vt ſicut prædicatione verbi, ita etiam per ſacramētorum in oculos incurrentem adminiſtrationem, & myſteria horum, fidei commodaretur atque inſeruiretur, Vtq́ propitię beneplacitæq́ voluntatis erga nos Dei, certa cõteſtatio eſſent & confirmatio, & veritati quę his ſignificatur teſtimonium perhiberent, fideiq́ eam porrigerent apprehendendam, ſicut & verbum, atq́ vt piorum animi, in perceptione horum gratiã & veritatem, de qua teſtãtur, fide acciperent, ſibiq́ hanc applicantes ſuam facerent, & ſeſe in hac confirmarent, & contra, Deo ſe dedendo conſecrarent, quaſiq́ iureiurando ſanctè ſe obligarent, ad ſoli ipſi ſeruiendum, intérque ſe quaſi copularentur,

coniunctione & nexu, vt ſpiritus ita
Eph.4. corporis etiam vnius, Eccleſiæ ſcilicet, communitatiſq; ſanctorum & caritatis.

Atq; ſecundum hæc, ſacramenta,
Gene.17. ſicut & circumciſio olim, appellari poſſunt ſacra fœdera Dei cum Eccleſia, & huius cum Deo, miniſteria fidei & caritatis, per quæ coniunctio atq; vnio Dei Chriſtiq; Domini cum populo credentium fit & perficitur, populiq; huius cum Chriſto, atq; ipſo inter ſe in vno ſpirituali corpore Eccleſiæ, Per quæ etiam, ſicut & per verbum Chriſtus & ſpiritus ipſius in credentibus, id eſt qui his dignè vtũtur, precioſam eximij meriti ſui communicationem efficit, Neq; inania & nuda tantum miniſteria aut ceremonias hæc eſſe ſinit: ſed quæ foris ſignificãt et teſtantur, hoc ipſe intus ad ſalutem vtiliter atque efficaciter exercet, hoc eſt, mũdat, alit, exaturat, ſoluit, remittit, confirmat.

Qui igitur hæc contemnunt, & cõtumaciter apud ſe nihil ponderis habere

bere ſinunt, paruíq; facientes pro rebus leuibus habent, aut alioqui contra inſtitutionem, voluntatē & mandatum Chriſti his abvtuntur, hi vniuerſi grauiter, aduerſus autorem horum, qui ea inſtituit, peccant, & ſalutis ſuæ damnum faciunt maximum.

Quod ſi vero ſacramentis aliquis de inſtituto Chriſti libēter vti vellet, neq; tamen copia horum, aut integra nulla fraudiſve expers, contingere ei cupienti poteſt, vt ſi forte in carcere captus detineretur, aut morbo impediretur, aut in exteris regionibus inter veritatis aduerſarios vitam degeret, talis igitur in tali caſu ſuo, ſi S. Euangelio prorſus & verè credit, etiam ſine ſacramentorum vſu per eam fidem ſaluus fit. De quo extat preclarum Auguſtini dictū, Crede & manducaſti: Cum ſacramenta non niſi cū conditionis certæ appendice ad ſalutem ſint neceſſaria. *In Iohan. Cap. 6.*

Docetur & hoc, ſacramēta à ſe, vel ex ſeſe, ex opere operato, ſeu externa actione ſola, id eſt, nuda communica

tione atq; perceptione aut vſu ſui, nemini qui antea non ſit intus à ſpiritu ſancto viuificatus, & qui nullos intra ſe bonos motus habeat, vt dicitur, talium igitur nemini ſacramenta neq; gratiam neq; iuſtificantem aut viuificantem fidem conferre, atq; ita neminem iuſtificare poſſe, neq; ſpiritũ cuiuſquam intus viuificare, neq; regenerare, fidem enim præcedere oportet, per quam hominem intus Spiritus ſanctus viuificat, illuminat ſeu illuſtrat, & in corde bonos motus ciet ſeu efficit. Abſq; hac fide nulla eſt neque iuſtificatio, neq; ſalus, neq; ſacramenta à ſe aut per ſe ipſa, quicquam ad hæc conferunt, ſicut in ſacra ſcriptura huius rei manifeſta exempla in multis reperiuntur, inprimis in Iuda, *Iohan. 13.* qui à Domino Chriſto ipſo Sacramentum accipiebat, atq; etiam concionatoris munere fungebatur, & tamen Diabolus, hypocrita, & filius perditus manere non deſinebat. Neque fuit Sacramento, aut vſu huius, melior factus, neque quicquam hoc ei

ei ad ſalutem profuit. Itémque in Anania & vxore huius, qui ab Apoſtolis baptiſmum acceperant, atque ſine dubio etiam cœna Domini vſi fuerant, & tamen nihilominus in prauitate, iniuſticia, mendacijs aduerſus ſpiritum ſanctum perſeuerabant, ſacramenta neq; prauitatem in eis ſuſtulerunt, neq; ſalutarem ſeu iuſtificantem fidem: quæ cor melius efficit reſipiſcendo, & integrum Deóq; obediens præſtat, & conſcientiam tranquillat: hanc igitur fidem & ipſam ſacramenta eis non contulerunt, Sicut circumciſio & ſacrificia veteris teſtamenti, viuam & iuſtificantem fidem non conferebant, abſq; qua fide ad ſalutem æternam ſeu iuſtificationem, nihil illa proderant. *Act.5.*

Quomodo & de his omnibus S. Paulus ad Romanos verba facit, & Abrahami exemplum introducit, teſtatúrq; fidem eum & iuſticiam, quæ ad Deum valet, ante habuiſſe quam circumcideretur. De populo Iſraëlitico ſimiliter ſcribit, quod & ipſe *Rom.4.*

baptiſatus fuerit, & vno eodémq; cibo ſpirituali & potu ſpirituali vno, vſi fuerint vniuerſi, ſed multos horũ non placuiſſe Domino, ideoq; & in copia horum omnium, indigni qui reciperentur, & à Deo reiecti fuerũt. Quod ſi enim mortuus aliquis & indignus ad ſacramenta venit, ei profectò vitã & dignitatem non conferunt, ſed qui talis eſt, multo etiã maiori culpæ peccatíq; onere ſe grauat, cum indignus ſit, id quod Apoſtolus in doctrina de cœna Domini diſertè oſtendit, cum
1.Cor.10. dicit, quicunq; indignè de hoc pane comedit aut de poculo hoc Domini bibit, reus eſt corporis & ſanguinis
Ibid. Domini. Item, comedit & bibit ſibi iudicium.

Poſtremo ſciendum & hoc, quod ſacramenta nunquam deſtituat virtus ipſorum ita vt ſint inefficacia vllo tempore, ſed de inſtitutione Chriſti ſemper exercent virtutem atq; efficacitatem ſuam in conteſtando, obſignando, cõfirmando, dignis quidem gratiam & ſalutem præſentem, indignis

gnis autem culpam et condemnatio-
nem,ſiue à bono honeſtóq; ſacerdo-
te adminiſtrentur & diſtribuantur,ſi-
ue ab occulto peccatore. Quamdiu
enim hypocritarum improborum ta
lium peruerſitas nondum publicè no
ta eſt,neque diſciplinæ Eccleſiaſticæ
animaduerſio,lenior aut ſeuerior,ne-
que excommunicatio etiam, ſi forte
contumaciores fuiſſent aliqui, aduer
ſus eos vſurpata fuit, poſſunt ſacra-
menta ea quæ adminiſtrant, ſi modo
de voluntate, mandato, ſententia &
inſtitutione Chriſti ea adminiſtrant,
ab ipſis accipi,ſicut & veteris Eccle- *Diſtinct.*
ſiæ conſtitutiones id cõfirmant. Vir- *4. de con*
tus enim & efficacitas ſacramento- *ſecratio.*
rum,neq; poſita eſt in eo,neq; depen- *cap. Ali-*
det ab eo,qui vel adminiſtrat ea, qui- *ud, Item*
cunq; ſit, vel ea percipit, ſed conſiſtit *cum ba-*
in inſtitutione, & autoritatis pleniſſi *ptiſat.*
mo potentiq; mandato & verbo fun-
datoris ſacramentorum,Domini IE-
SV Chriſti, qua vna re nituntur, &
inde habent quicquid poſſunt. Etſi
omnino videre miniſtros cauereq; o-

1.Cor.9. portet, ne cum alijs inſeruiant opera ſua, ipſi fiant reprobi ſeu reiectione Math.7. digni, Atq; etiam ne res ſacras canibus præbeant, aut margaritas obijciant porcis.

Populo etiam omni conatu videndum, vt caueat, ne vllo modo cum ſcandalo ſeu offenſione Eccleſiæ & ſalutis animarum periculo proprio, id eſt, ſibi ad iudicium & culpam, de quo ſupra mentio facta eſt, ſacramenta percipiat.

CAPVT XII.

De Sacro Baptiſmo.

DE ſacro Baptiſmo docetur, credendum & profitendum, eſſe hunc ſacramentum ſeu miniſterium ſalutare noui teſtamēti, à Chriſto Domino inſtitutum, & de quo mandatū ſit miniſtris fidelibus, vt adminiſtratione huius, ſanctæ Eccleſiæ inſeruiant, quod cōſiſtit in externa ablutione, quæ fit aqua, cum inuocatione no Aug. ho- minis ſanctæ Trinitatis, (vt de ele- mento

mento & verbo ſacramentum exiſtat & conſiat.) Fitq; ea ablutio & ad ſignificandam & conteſtandam ſpiritualem ablutionem, & internã mundationem ſancti Spiritus, ab hæreditarij peccati morbo, cæteríſq; peccatis, quorum reatus hic remittitur & tollitur, & ad cõſequendum nouum ortum naſcendi ſeu regenerationem, vnde ſacramentum nominatur noui ortus, id eſt, regenerationis, ſeu ablutio cũ aqua in verbo vitæ. Credimus enim, quicquid per Baptiſmum, vt ſacramentum verbo Euangelij additũ, externo ritu ſignificatur & teſtatum redditur, hoc igitur omne dominum Deum intus efficere præſtaréq;, hoc eſt, peccatum abluere, hominem regenerare, eiq; ſalutem conferre, pérq; lauacrum aquæ, communitatem Eccleſiæ ſuæ, in verbo vitæ mundare, filio ſuo conveſtire & induere, peccatum ſepelire & delere, & pacem bonæ conſcientię teſtatam facere atque obſignare. Neq; enim baptiſmus externarum carnis ſordium ablutio eſt,

mi. in Iohan. cap. 13.

Act. 2. & 22.

Iohan. 3.
Tit. 3.

Eph. 5.
Galat. 3.

Rom. 6.

1. Pet. 3.

ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ ad Deum.

Ad hos præclaros fructus conferendos ſacer Baptiſmus Eccleſiæ datus & conceſſus eſt, quem fideles animarum paſtores adminiſtrare,& quo Chriſti fideles legitimè,quod ad perceptionem attinet, ſemel tantum, re autem & veritate per totam vitam vti debent.

Etſi autem ſacer Baptiſmus in prima Eccleſia, maxima ex parte, adultis ætatéq; prouectis,ad cõfeſſionem
Mar.16. fidei ab ipſis, ſecundum mandatum Chriſti, editam, collatus fuit, Docetur tamen hoc, etiam infantibus, qui & ipſi in numero populi Dei referuntur,hoc miniſterio ad ſalutem ſimiliter inſeruiri debere, vt & ipſi Chriſto conſecrentur atq; dicentur, ſecundũ
Matt.19. mãdatum eius,cum dicit, Sinite paruulos ad me venire,neque prohibete eos,quia talium eſt regnum Dei. Secundum hoc igitur verbum Domini, multáq; alia teſtimonia, promiſſionéſq; alias factas huic carę puerorum ætati,

ætati, præſertim cum exemplum etiã extet illius veteris à Deo inſtituti miniſterij, circumciſionis ſcilicet, quæ propter fœdus non tantum ad adultos, ſed ſimul etiam ad infantes pueros pertinebat, his igitur de cauſis, noſtri ſacerdotes ſine vlla dubitatione fidentérq; pueros in nomine ſanctæ trinitatis baptiſant, applicantes ipſis efficaciſſimæ virtutis ſignum, firmiſſimámq; cõteſtationem eius rei, quæ ipſius Chriſti verbis huic ætati addicitur, atq; cum ea communicatur. Sic enim Chriſtus in genere, ſinéq; exceptione, nõ de quibuſdam, ſed de vniuerſis hominibus mandauit, Docete omnes gentes, & baptiſate eas in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Atq; ita ſuper pueris hoc ſanctiſs. nomen inuocatur, in quo ſolo ſalus eſt. *Gen.17.* *Math.28.* *Act.4.*

Amplius docetur & hoc, qui ſemel legitimè & verè baptiſati ſunt, eos, vbi adoleuerint, operam dare debere, vt ſacer baptiſmus quid ſit, ſimúlq; Catholicam Chriſtianámque fidem, (abſq; qua baptiſmus nihil prodeſt,)

agnoſcere atque cognoſcere diſcant, quo deinceps quando communione Cœnæ Domini vti expetunt, fidem ſuam, ore proprio, ſuáq; ſponte profiteri, & ſanctificationẽ ſuam, qua Domino conſecrati ſunt, renouare poſſint. Et tales, id eſt, qui ſic inſtituti ſunt, noſtri in hoc fœdus ſacri baptiſmi recipiunt, & gratiam quam baptiſmus complectitur, impoſitione manuum in ipſis teſtatam faciunt, ad militiam fidei eos confirmant, atque ita conueniente pióq; modo, & cum puriorum, & ad ædificandum vtilium ceremoniarũ vſurpatione, ad ſacramentum Cœnæ Domini, ſine vlla baptiſmi repetitione adducunt, ſicut huius rei in prima Eccleſia, quæ eſt poſterorum vera & optima Magiſtra, & præeũdo ducit nos, indicia atq; exempla etiam extant manifeſta. Quod ſi enim vera etiam ratione Baptiſmo Chriſti aliquis potiretur, atq; per hũc
Rom.6. cum Chriſto in mortem ipſius ad nouam vitam ſepeliretur, ſi poſtea, vita ei producta, ſecundum doctrinam S. Euan-

Euangelij, veram viuámque in IESVM Chriſtum fidem, & fraternam erga omnes Domino conſecratos caritatē non præſtaret, atque ita loco etiam ſuo ſeu vocatione, Deóque & proximo indignam vitā degeret, neque in eo ſpem viuam de vita æterna conciperet: talis igitur ipſe nimirum de ſe certo teſtaretur, quod gratiā ſacri Baptiſmi, in quo nomen ſacræ Trinitatis ſuper ipſo eſſet inuocatum, fruſtra accepiſſet: id quod Deus Dominus, de indicio verbi ſui, nullo modo invltum aut impunitum abire ſinit. *Exod. 20.*

CAPVT XIII.

De Cœna Domini.

DEcimo tertio loco docetur de Cœna Domini teſtamenti noui, corde credendum & ore profitendum, quod ſit ſacramētum à Chriſto Domino, in Cœna vltima, verbis ab ipſo editis inſtitutum, hoc eſt, quod de pane & vino ipſe pronunciarit, eſſe ea corpus & ſanguinem ſuum,

Matt.26. & Apoſtolis, atq; ita ſimul ſanctæ Ec-
Mar.14. cleſię vniuerſæ, in monumentũ mor-
Luc.22. tis ipſius, & cuius communione legi-
timè vſq; ad finẽ mundi vniuerſi vte-
rentur, traditum eſſe, de quo & Euan
geliſtæ ſcribũt, & inprimis S. Paulus,
cuius verba vſq; ad hodiernum diem
1.Cor.11. in Eccleſia ita ſonant: à Domino acce
pi, quod tradidi vobis, Dominus e-
nim IESVS in ea nocte qua traditus
eſt, accepit panem, etc. & poſt hæc,
Cum conuenitis (ſcilicet ad Cœnam
Domini) expectet vnus alterum. Se-
cundum, hæc igitur corde credimus
& ore confitemur, hunc Cœnæ Do-
minicæ panem eſſe corpus Domini
IESV Chriſti, pro nobis traditum, &
calicem ſeu vinum in hoc ſimiliter
eſſe ſanguinem ipſius pro nobis pro-
fuſum ad remiſſionem peccatorum:
Et hoc quidem de diſertis & planis
verbis Chriſti, quibus dicit, Hoc eſt
corpus meum, hic eſt ſanguis meus:
Quæ verba de nulla alia re accipi ſeu
intelligi debent, neq; aliò referri, quã
ad panem omnino & poculum Do-
mini,

mini. Corpus autem & ſanguis Domini, de nullo alio quam de ſolo vero & proprio Chriſti corpore intelligi poteſt, quod per cruciatus ſuos cibũ fecit, & de ſanguine quem de corpore ipſius largiter profuſum in potum Eccleſiæ ſuæ apparauit, neq; enim naturale corpus ſanguinémq; alium habuit. Docent igitur ſacerdotes noſtri, his à Domino Chriſto pronunciatis certis verbis, quibus panem peculiariter corpus, & peculiariter vinũ ſanguinem ſuum eſſe pronunciat, teſtatur, & inſtituit, his igitur verbis à nemine quicquam neq; addendum neque detrahendũ eſſe, ſed vnumquenque in his, id, quod per ſe ſonant, credere, neque ab his vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectere debere.

Ad ſententiam tamen huius fidei explicandã, docetur amplius, etiamſi panis ſit corpus Chriſti de inſtitutione ipſius, & vinum ſanguis huius ſit, Neutrum tamen horum naturam ſuam exuere, aut ſubſtantiam mutare, aut amittere, ſed panem verum panẽ,

& vinum verum vinum eſſe & manere: ſicut & ſcriptura ſacra vtrique hoc nomẽ ſuum tribuit, alioqui enim ſi elemẽtum eſſe deſineret, ſacramentum non eſſet, cum ad elementum ſi verbum accedit ſacramentum fiat. Neq; ſignificare aut cõteſtari poſſet, ſi nullum haberet inſtar eius rei cuius ſacramentum eſt, aut res ſignificata alium prę ſentię modum quam ſacramentalem hic haberet.

Aug. in Ioh. Tractatu 80. Aug. Ep. 23. ad Bonif. Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earũ rerũ, quarum ſacramẽta ſunt non haberent, omnino ſacramenta nõ eſſent.

Quare hæc locutio, Panis eſt corpus, & vinum eſt ſanguis Chriſti, ſacramẽtalis locutio eſt. Nimirum has duas diſtinctas res, hoc ipſum quod natura ſua ſint, manere, & tamẽ propter ſacramentalem vnionem, ſeu ſacramentaliter, etiam id eſſe, quod ſignificant, & de quo teſtantur, neq; tamen natura ſua aut naturali modo, ſed de inſtitutione atque pronunciatione ſeu teſtatione fundatoris, ſicut hoc S. Paulus præclare explicat, cum ſcribit, poculum cui benedicitur cõmunicationem eſſe ſanguinis Chriſti, panem quem frangimus eſſe com-

1. Cor. 10.

mu-

municationem corporis Chriſti.

Vtuntur autem hoc vtrique, boni & mali, & tamen verè credentes ad vitam, non credentes autem ad iudicium & condemnationem. Et quanquam vtrique verum ſacramentum, & hanc veritatem eius ſacramentaliter & externo modo accipiunt, credentes tamen ſoli ſpiritualiter, atque ita cum ſalute ſua accipiunt, abſque qua ſpirituali perceptione nulla in vſu ſacramentali digna ſit perceptio. Hoc enim modo Chriſto inſerimur & corpori eius, atq; hoc modo fit vera illa vnio & communicatio Chriſti cum ſua Eccleſia, & viciſſim Eccleſiæ ſanctæ, quæ eſt ſpirituale corpus quoddam, inter ſe & ſecum communio, de quo ſcribit Apoſtolus, vnus panis eſt, & multi nos ſumus vnum corpus, cum omnes vnius panis participes ſiamus. 1.Cor.10.

Præter hæc docetur amplius, cum hoc miniſterio aut ſacramento Domini, nihil aliud debere fieri, aut tractando ſuſcipi, quam id vnum, quod

à Chriſto ipſo indicatum, conſtitutũ, atq; diſertè mandatum eſt, vt cum diſcipulis ſuis diſtinctè peculiaritérque panem porrexit & diſertis verbis dixit: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum: & rurſus cúm ſimiliter ſeparatim & diſtinctè poculum porrexit dicens, accipite, bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus. Ita igitur ſecundum hoc mandatum, corpus & ſanguis Domini noſtri IESV Chriſti, diſtribui tantũ, & à fidelibus ſeu credentibus Chriſtianis cõmuniter percipi debet, non autem ſacrificari, aut proponi, aut venerationis cauſa attolli monſtraríq; et aſſeruari aut circumferri debet: & diſtinctis elemẽtis hæc ambo accipi debent, peculiariter & ſeparatim corpus, & ſeparatim ſanguis eius ſanctus, ſicut ſingula ſeparatim à Domino inſtituta, porrecta, & vniuerſis communiter tradita fuerunt, atq; hęc etiam in prima Eccleſia ſancta vſurpata doctrina, hócq; ſacramentum vtriſq; partibus ſuis integrè diſtributum & perceptum fuit.

Qui verò præter & contra hæc mandata inſtitutionémque Chriſti, aliud aut amplius aliquid ſuſcipere, & cum hoc ſacramẽto facere aut architectari petulanter audet, is manifeſtè & proterue facit contra Chriſtum Dominum, qui hoc ſacramentum inſtituit, & ſacro teſtamento, voluntatíq; vltimæ ipſius, quæ verbis ipſius proprijs & diſertis indicata eſt, rem contrariã committit.

Hoc etiam ſacramentum ſine adoratione, ſinéque illo vni Deo debito cultu, cum debita tamen religione & reuerentia percipi adminiſtraríq; debet, atq; ea inprimis, quæ omnium eſt maxima, fide ſcilicet & ſui ipſius exploratione, quæ in hac actione Domino Chriſto omnium gratiſſima eſt, hominibus omniũ vtiliſſima, quam etiam S. Paulus primã Eccleſiam docuit, & ad hanc eam hortatus eſt, cum inquit, Probet autem ſeu exploret ſe 1.Cor.11.
vnuſquiſq;, atq; ita de pane illo comedat & de poculo illo bibat: nam qui indignè edit & bibit, ſibi iudiciũ ſeu

condemnationem edit & bibit, non diſcernendo corpus Domini. Et alibi:Ipſi vos tẽtate,an ſitis in fide,ipſos vos explorate, an non agnoſcitis ipſos vos, quod IESVS Chriſtus in vobis ſit, niſi forte reprobi eſtis. Oro autem Deum,ne quid mali committatis. Quod ſi quis abſq; tali exploratione,neq; ſe dignum præſtando,huc accederet,qui neq; ipſe prius in ſe inquiſiuiſſet cuiuſmodi fidem haberet, quo conſilio ad hoc ſacramentum veniret,quomodóve ſe ad hoc paraſſet: talis igitur hoc ſacramentum, imò totam inſtitutionem huius à Chriſto factam,ſumma profanatione & contumelia afficeret. Qua de cauſa Eccleſiarum noſtrarum miniſtri neminem ad hoc ſacramentum admittunt, neque præbent etiam hoc vllis, niſi qui feriò hoc agere animaduertantur, & quantum in ipſis eſt, Chriſtianam pietatem decenti modo ſe ad hanc rem parent.

2.Cor.13.

Quando verò iam ad vſum Cœnæ Domini & cõmunicationem huius

cele-

celebrandam conuentus fiunt, tum ſecundum exemplum primæ Eccleſiæ, concionibus ſacris de Chriſto docetur, de gratia quæ per hunc & in ipſo peccatoribus confertur, & in primis de morte eius, ſanguinis profuſione, & per hanc parta redemtione & ſalute. Poſtea ſimul ab vniuerſa Eccleſia ad Deum fideles preces fiunt, ad impetrandum hoc, vt verè digni hoc vtamur. Ad hæc deinceps à peccatis abſolutio legitimè adminiſtratur, verba inſtitutionis recitantur, & populus ad religioſam conſiderationem myſterij huius, ad alacrem ſeriámq; beneficiorum diuinorum contemplationem, hortãdo excitatur, ſacramentũ religioſe cum omni pietate diſtribuitur, Populus autem fidelium vſitatiſſimè in genua procũbens hoc accipit, cum gratiarũ actione, lætitia, & hymnos accinendo ſacrarum cantilenarum, annunciántq; mortem Domini, & commonefaciũt ſe omnium beneficiorum huius ad fidei ſuæ confirmationem, in vera cum Chriſto,

& corpore ipſius, communicatione, & hæc quidem omnia de ſentẽtia eorum, quæ in ſacra ſcriptura pręcipiuntur, inprimis de dicto Chriſti, cum in-
Luc.22. quit, Hoc facite in mei memoriam: &
1.Cor.11. Paulus, Quotieſcunque de hoc pane comederitis, & de hoc poculo biberitis, annunciabitis mortem Domini, donec veniat.

CAPVT XIIII.

De Clauibus Christi.

DEcimum quartum Eccleſiaſticæ doctrinæ noſtræ caput, eſt De clauibus Domini, de quibus dicit
Math.16. Petro, Dabo tibi claues regni cœlorum. Hæ verò claues ſunt peculiare munus miniſteriúmq; ſeu adminiſtratio poteſtatis Chriſti & ſpiritus ſancti eius, quæ eſt Eccleſiæ Chriſti, & miniſtris huius, vſq; ad finem mundi concredita, vt nõ tantum ſanctum Euangelium, etſi hoc quidem præcipuè, concionando prædicent, hoc eſt, verbum id conſolationis veræ, lætúmq; pacis

pacis & nouũ de gratia quam Deus offert nuncium, annunciẽt, ſed etiam vt credentibus & non credentibus, illis quidem Dei gratiã, his iram, vniuerſis aut ſingulis, publicè aut priuatim denuncient & demonſtrent, in domum Dei ad communionem ſanctorum aliquos ſcienter recipiãt, aut inde expellant, atq; ita ſceptrum regni Chriſti per miniſterij ſui adminiſtrationem manu teneãt, & ad gubernationem ouium Chriſti eo vtantur.

Conditio igitur & munus propriũ clauium eſt, primum aperire & ſoluere, hoc eſt, fidelium, pœnitendóq; reſipiſcentium conſcientiam, in Chriſto pacare atq; tranquillare, de remiſſione peccatorum ad ipſos conteſtari, et in ſpe certa ſalutis eos confirmare, atque ita regnum cœlorum eis aperire, aduerſus omnes tentationes animos addere, & firmitatem atq; alacritatẽ exuſcitare.

Atq; hæc quidẽ omnia à fidelibus animarum paſtoribus geruntur loco Domini, non ex ſeſe hoc agentibus,

ſed de mandato Chriſti, non ſua &
1.Cor.4. propria, ſed Chriſti virtute & verbi ſa
2.Cor.3. cramentorúmq; huius efficacitate, vt
& 5. qui œconomi ſunt & adminiſtri myſteriorũ Dei, & miniſtri quidem tantum, in quarum rerum adminiſtratione decentibus aliquibus & adiaphoris, id eſt, in nullo diſcrimine poſitis ceremonijs, quales ſunt, manus impo nere, aut dextram porrigere, vti poſſunt, aut has etiam omittere.

Ab altera parte, clauiũ Chriſti munus & opus proprium eſt claudere et ligare, hoc eſt, de mandato Chriſti, & autoritate muneris huius ab ipſo Eccleſiæ crediti: quod eſt virtus & ſceptrum ipſius: omnibus proteruis, nõ pœnitentibus, incredulis, & huius generis peccatoribus alijs, horribile iudicium Dei, & iram huius intolerabilem, quam nulla natura ſuſtinere poteſt, ſeuerámq; ſententiam ipſius denunciare, Atq; ita verbo Chriſti, pro ratione eius quod admiſſum eſt, peccatum arguere, à Chriſti ſaluatoris noſtri communitate, & ſacramentorum

torum fructu perceptionéq; ſeparare, & ex Eccleſia Chriſtiana eijcere, atq; in ſumma regnum cœlorum eis claudere, tandem & Satanæ eos tradere.

Hanc poteſtatem ſceptri & ſpiritus ſui, Dominus Apoſtolis ſanctis, atq; ita omnibus legitime conſtitutis Eccleſiarum miniſtris, quam ipſius loco exercerent, cõceſſit & tradidit, huius ſententiæ verbis: ſicut pater miſit me, ita mitto & vos: Et mox his addit, Accipite ſpiritum ſanctum, ſi quorũ peccata remiſeritis, ijs remiſſa ſunt, & ſi quorum retinueritis, retenta ſunt. Ioh. 20.

Ad hæc manifeſtum exemplum vtendi poteſtate clauium in Corinthio illo peccatore & alijs proponitur, quem S. Paulus, vna cum Eccleſia eius loci, virtute atque authoritate Domini noſtri IESV Chriſti, atq; ſpiritus huius, inde eiecit, & Satanæ tradidit, & cõtra, poſtquã Deus ei largitus fuit, vt pœnitentiã ageret, à peccatis eum abſoluit, iterum ad ſanctorũ 1. Cor. 5.

2.Cor.2. & ſacramẽtorum communionem in Eccleſiam eum recepit, atq; ita regnũ cœlorum rurſus ei aperuit.

Ex his intelligere licet, has claues, ſeu munus hoc Domini diuinũ, animarũ curatoribus, & ſingulis Eccleſiaſticis communitatibus, ſiue paruæ ſint ſiue magnę, concreditum eſſe & conceſſum, De quo Dominus dicit

Math.18. Eccleſiis: Amen dico vobis, quæcunq; ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo. Et mox: Nam vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio ipſorum.

Præterea docetur & hoc, vt vnuſquiſque Chriſtianus, quotieſcunq; ei his clauibus Domini opus eſt, ab animarum paſtoribus eius Eccleſiæ ſeu communitatis, cuius ipſe pars eſt, & ad quam pertinet, eas peculiariter ſibi petat, atq; cum plena fiducia, nõ aliter quàm ſi à Chriſto ipſo perciperet, ĳs vtatur, cum hic illis has tradiderit, neq; vllo modo dubitet, per miniſterium hoc clauium, virtute & poteſtate Chriſti, peccata ſua ei remitti,

&

&ab his ſe abſolui, ſecundũ dictum Chriſti ipſius, cui peccata remiſeri- *Ioh.20.* tis, etc. Et, qui vos audit, me audit, & *Luc.10.* qui vos (hac in parte nimirum mini- *Math.10.* ſterij Eccleſiaſtici, & neceſſario tem- *Iohan.13.* pore ſuo) recipit, me recipit. Et con- trà, Qui vos cõtemnit, me cõtemnit.

Etiam hoc docetur & agitur, ne ſa cerdotes his clauibus Domini aliter vtantur, quàm de ſententia & volun- tate Chriſti, quæ in verbo ipſius ex- preſſa declaratur, & ſecundum iudi- cij eius certas, diſertas, expreſsáſque deciſiones, néve vllo modo de huma nis opinionibus, multo minus pro ſuo arbitrio aut libidine, his clauibus abutantur, ita enim futurum eſſet, vt claues à munere ſuo recederent, atq; aberrarent. Et hoc quidem cauen- dum, ne compleatur hoc modo in peruerſa adminſtratione harũ, quod Dominus dixit per Prophetam: Ad *Malac.2.* vos, inquit, mandatum hoc, ô ſacer- dotes, ſi audieritis nec applicueritis cor veſtrum, vt colatis, nomẽ meum, dicit Dominus exercituum, mittam

in vos execrationē, maledicámq; benedictionibus veſtris, ſicut iam maledixi eis, quoniam non curatis animis veſtris timorem Domini.

CAPVT XV.

De Rebus accedentibus ſeu adiaphoris, traditionibus, conſtitutionibus, ritibus, & ceremonijs Eccleſiaſticis, & de libertate Chriſtiana.

DE hoc genere acceſſorio, traditionibus humanis, conſtitutionibus, conſuetudinéq; bona introductis ritibus, docetur, eſſe hæc conditione inferiore, minúſq; neceſſarias res, quam ſint dona ordinarij miniſterij, imò miniſterij Eccleſiaſtici cauſa, & vt huic inſeruiāt, hæc inſtituuntur & cōſtituuntur, Et tamen in cœtibus Eccleſiaſticis populi Chriſtiani, apud communem cultum diuinum, concordi conſenſu retinenda eſſe, ſecundum ſancti Apoſtoli doctrinam; o-
1.Cor.14. mnia in communitate, ſcilicet Eccle-

ſiaſtica veſtra, decenter & ordine fiant. Item, Deus non eſt autor confuſionis ſed pacis. *Ibidem.*

Omnino autem cum hac cautione ſeruare ea oportet, intráq; has metas continere, ne pro fundamentis quibus ſalus nitatur, aut pro cultu qui à Deo ſine vllo diſcrimine conſtitutus ſit, habeantur, néve magis aut arctius quam mandata Dei conſcientias hominum obſtringant, & his ne ſe efferendo præferant, ſed tantum pro ornamento, decore, honeſtáq; ſpecie, & laudabili diſciplina vt habeantur, atque ita quidem ne libertatem Chriſtianam Spiritus Chriſti & fidei violent, & caritatem ne turbent, Contra etiam, ne quis ſpeciem Chriſtianæ libertatis prætendendo, pijs & bono vſui ſeruientibus conſtitutionibus ſe ſubtrahat.

Chriſtianæ autem libertatis mentione intelligit̃ præcipuè ea libertas, qua per Chriſtum à peccatis & maledictione legis atq; iugo eiuſdem, liberati ſumus, Poſtea perceptio ſpiritus *Iohan. 8.* Rom. 6.

Rom.8. promtæ voluntatis ſeu voluntarij fi-
Act.15. liorum Dei,quo cupide & cum volu
Pſal.51. ptate,ſpontéq; noſtra, opera fidei er-
& 110. ga Deum, & caritas erga proximum
Rom.8. exerceantur,& per legẽ caritatis,ſtu-
2.Tim.1. dio potius quam obligatione aut co-
Iac.1. actione vlla,ad hæc præſtãda animus excitetur, Item quo immunes reddimur ab omni obligatione conſcientiæ,ad vllas humanas traditiones, ne ad has æquè,inprimis autem ne grauius, quam ad mandata Dei aliquis alligetur, & poſtremo, ne aliquis per has cauterium fieri patiatur conſcientiæ ſuæ.

Secundum hęc igitur,non tantum non ſeruandæ, ſed fugiendæ ſunt omnes traditiones humanæ, ritúſq; eiuſmodi,qui gloriam,honorem,cultũ & gratiam Domini noſtri IESV Chriſti obſcurant aut tollunt, populúmq; à vera & ſincera fide abducunt,atque vt breuiter dicamus, quorum cauſa & reſpectu mandata Dei violantur, negligũtur & parui pendũtur, Deíq; verbum in ſua ſinceritate & veritate non

non exercetur aut tractatur. Dominus enim Chriſtus ſeuerè arguit Phariſæos illos & magiſtros Iudæorum, talium rituum & traditionum nomine, quodq́ tales ſeruent, cum dicit, Quam præclarè de vobis hypocritis prædixit Ieſaias, ſicut ſcriptū eſt, Hic populus colit me labijs, ſed cor huius longe abeſt à me: fruſtra autem me colunt, cum doceant eiuſmodi doctrinam, quæ eſt ab hominibus tradita & introducta, omiſſis enim mandatis Dei, ſeruatis traditiones humanas. Et S. Paulus monet, vt caueatur ab humanis nugis eiuſmodi, cum inquit, videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam & inanes deceptiones ſecundum traditionem hominū, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, De quo & Canones extant iuris Canonici, quorum hæc verba ſunt: Conſuetudinē laudamus, eam tamen, quæ contra fidem Catholicā nihil vſurpare dignoſcitur. Quare illi tantum ritus illæq́ ceremoniæ bonæ ſeruari debent, quæ in populo

Mar. 7. *Eſa. 29.* *Coloſſ. 2.* *Diſtinct. 8. & 11. cap. Conſuetud.*

Chriſtiano vnicã & veram fidem ſincerumq́ꝫ cultum Dei, concordiam, caritatem, & veram atque Chriſtianam ſeu religioſam pacẽ ædificant. Siue igitur ab Epiſcopis, ſiue à Concilijs Eccleſiaſticis, aut à quibuſcunqꝫ autoribus alijs extiterint, aut introductæ ſint, de eo ſimpliciores laborare non debent, neque hoc moueri aut perturbari, ſed quia bonæ ſunt, ijs ad bonum vti, atqꝫ hanc ſolam regulam in his obſeruare, vt ſemper in ijs tantum quæ diuina ſunt, maximam fiduciam ſuam collocent, & vnicum præcipuúmq́ꝫ perfugium in his ſibi conſtituant, omníqꝫ diligentia caueant, ne ceremonijs talibus, ab ijs quæ omnium maxima ſunt, & quibus religio fundatur, atqꝫ ita à rebus ipſis abducantur. Diuinæ enim & ſalutares res illę, per omnia, omnibus omnium hominum rebus anteponi, & illis ſolis alligari conſcientia debet. Dominus enim ipſe Væ proclamat ſenioribus Iudæorum, qui traditiones ſuas mandatis diuinis, & quę minora ſunt potio-

Math.23. *Luc.11.*

potioribus præferebant, Vos omittitis, inquit, quæ ſunt in lege grauiſſima, iudicium ſcilicet, miſericordiam & fidem, hæc oportebat præſtare & illa non omittere.

Quomodo & hodie apud nos multi ex veteribus ritibus, & conſuetudine introductis, quantum fieri, & decenter fieri poteſt, ſeruantur, quales ſunt ieiuniorum & feriarum dies certi, matutina, id eſt, conciones matutinæ, veſpertini cōuentus, Dominicæ, feſti dies, illiq; eximiarum feriarum dies, qui conſecrati ſunt celebrationi operum Chriſti, Natiuitati, cruciatibus, reſurrectioni, etc. itémq; memoriæ ſanctorum hominum, vt virginis Mariæ, Apoſtolorum, aliorumq́; ſanctorum, & eorum ſanctorum præcipuè, de quibus in ſacris literis mentio fit: & hæc quidem omnia propter verbum Dei & cultus diuini cauſa, propterq; gloriam Dei à nobis fiunt.

Et quanquam noſtri non omnes ritus æquè ſeruant cum aliis Eccleſiis,

id quod & fieri non poteſt, & non eſt neceſſe fieri, vt omnibus in locis Chriſtianorum conuentuum vnæ & eædē ceremoniæ vſurpentur, Non tamen vlli bonæ & piæ conſtitutioni repugnant, ſeſéve opponunt, neq; ita animati ſunt, vt ceremoniarum cauſa diſſidia vlla commouere velint, etiamſi aliquæ non admodum neceſſarię eſſe iudicarentur, modo Deo & cultui atque gloriæ huius non reperiantur cōtrariæ, & quæ veram in IESVM Chriſtum fidem, quę ſola iuſticiam conciliat, non deminuant.

Etſi hoc loco, & hac in parte, ne hoc quidem ſilentio prętereritur, quod ſcilicet nullo modo deceat multis ſuperuacaneis & grauibus traditionibus, quales Moſaicæ illæ ſub lege fuerunt, populum onerare. Hoc enim Apoſtoli fieri prohibuerunt, ſicut de hac re S. Petrus quibuſdam dicebat,

Act. 15. Quid tentatis Deum, imponendo iugum ceruicibus diſcipulorum: Item,

Gal. 5. Ne, inquit Paulus, ſeruitutis iugo detineamini. Qua de cauſa & grauiter

Chri-

ſtus in Scribas inuectus eſt, cum dicit: Væ etiam vobis Scribis, oneratis enim homines oneribus, quæ ferri vix poſſunt. *Luc.11.*

Docentur & hoc agnoſcere homines, traditiones humanas non complecti legem perpetuam & immutabilem, ſed quemadmodum iuſtis de cauſis ab hominibus inſtituuntur, ita etiam iuſtis & grauibus de cauſis, & re ita poſtulante, violari, abrogari, atque mutari ſine vllo peccato poſſe, de exemplo etiam Apoſtolorum, qui à ſenioribus tradita tranſgrediebantur, quando illotis manibus comedebant panem, neq; eadem cum alijs ieiunia ſeruabant, & tamen hoc modo nullius peccati culpam contrahebãt; Itémq; de exemplo primæ & ſanctæ Eccleſiæ, cui Apoſtoli & Synodus vniuerſa per Spiritum ſanctum hoc mandatum imponebant, vt abſtinerent ab eſu eorũ quæ idolis ſacrificabãtur, & ſanguinis, & ſuffocati, poſtquam tamẽ cauſæ & occaſiones, propter quas hoc decretum extiterat, in- *Math.15.* *Mar.7.* *Act.15.*

teriecto tempore evanuerunt, etiam hęc Apoſtolica conſtitutio exoleuit. Neq; in his ſcandalum improborum qui hac re offenduntur curari decet,
Matt.15. ſicut Dominus dicit, Dimitte eos, ſunt cæci & cæcorum duces. Et contra hoc diligenter cauendum, ne paruulis ſcandalũ detur, libertatis Chriſtianæ temeraria, proterua, & peccatum cõplectente, vſurpatione. Nam
Rom.14. hoc etiam dicit Dominus: Væ homi-
1. Cor.8. ni, per quem venit ſcandalum.
Matt.18. Quod ſi verò in traditionibus & ritibus externis diſſimilitudo aliqua & innoxia diuerſitas in Eccleſiaſticis conuentibus reperiatur, omnino nemo tam imperitus harum rerum eſſe debet, vt hac de cauſa offendatur eo, aut ſcandalum ex aliĳs contrahat, alioſq; hoc nomine contumeliĳs afficere aut lædere, aut ſectarum etiam & factionum autor eſſe velit, cum nunquam vbiq; vna & eadem Eccleſiaſticæ hac in parte conſtitutionis forma fuerit, neq; hodie etiam ſit eadem, id quod & in Iuris Canonici libris, his

verbis

verbis refertur: ſcit S. Romana Eccleſia, quod nihil obſunt ſaluti credentium, diuerſæ pro loco & tempore cōſtitutiones vel conſuetudines, ſi illis Canonica non obſiſtat autoritas. Vnumquenq; potius orthodoxum contentum eſſe decet ſuáq; conſcientia acquieſcere in eo, ſi videat Chriſtianos vnum Chriſti ſpiritum habere, & veram ſententiam huius conſentientibus animis, vnámq; & eandem doctrinam in omnibus his rebus & fidei capitibus tenere & ſequi. Qui enim hunc Chriſti ſpiritum non habet, is non eſt Chriſti, ſicut Apoſtolus teſtatur, quaſcunq; etiam, ſeu cuiuſcunq; generis ceremonias aut conſtitutiones vſurpet. Quicunq; igitur Chriſti ſunt, ab ijs debetur hoc, vt in rebus talibus omnibus ſicut vnius corporis membra, inter ſe vnus alterum in caritate ſuſtineat & ferat, abſque qua nulla res prodeſt quicquam, ſecundum ſententiam doctrinæ Apoſtolicæ.

Diſtinct. 12. cap. ſcit.

Philip. 2.

Epheſ. 4.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

CAPVT XVI.

De Politica poteſtate, ſeu magiſtratu Politico.

AMplius ex ſacris literis docetur, politicum magiſtratum eſſe ordinationem diuinam, & à Deo conſtitutum, qui & à Deo originem ſuã ducat, & efficacitate præſentiæ & auxilij huius perpetui conſeruetur, ad gubernandum populum in ijs rebus quæ ad hanc in terris & corporis huius vitam pertinent, qua re etiam ab illa ſpirituali rei Eccleſiaſticæ gubernatione diſcriminatur, De quo extat
Rom.13. glorioſa Pauli ſententia, Non eſt poteſtas niſi à Deo, & quæ eſt poteſtas, à Deo conſtituta eſt. Secundum hæc igitur, omnino hoc ſcire, agnoſcere, & meminiſſe debent omnes illi, qui hac poteſtate præditi munera publica gerunt, cuiuſcunq; etiam generis ſint ex magiſtratuum ordine, quod ſint vicarij Dei, & loco huius, Deũq; omnium ipſorum, ſicut & cęterorum hominum vniuerſorum, ſupremum Do-

Dominum & regem eſſe, cui tandem de ordine in quẽ collocati ſunt, deq; terris ſuis, & vniuerſa gubernationis ſuę adminiſtratione, die nouiſſimo rationes ipſos reddere oporteat; de quo in libro ſapientiæ & alibi, diſertè *Sap.6.* ſcriptum eſt. Cúmq; locum Dei in terris adminiſtrent, & vicarij ſint ipſius, par eſt eos etiam conformare ſe ad exemplum ſuperioris Domini ſui, ſequendo eum & imitando, & ab hoc miſericordiam & iuſticiam diſcendo. De his igitur huiuſmodi fit inſtitutio, Qui cum poteſtate ſunt, debere eſſe erga alios beneficos; ſecundum id quod Chriſtus dicit, Qui potentes *Luc.22.* ſunt appellantur domini benigni, ſeu benefici; & muneris ſui ratione ad hoc eos peculiariter obligari, curationémq; hanc ipſorum eſſe propriã, vt iuſticiam, pacem, omníſq; generis bona, ex ijs quæ ſunt huius temporis, in populo, ſine reſpectu perſonarum, excolant, & ſubiectos pacificos ſuos iura, facultates, vitam, & corpora horum protegant & defendãt, aduerſus

eos qui hæc violãt, in hæc graſſantur & damnis maliſve hæc afficiunt, itẽq; contra Turcarum iniuſtam vim, vna cum aliĵs qui hoc agũt, defenſionem eis prȩſtent, atq; ita Domino Deo inſeruiant, in eo, vt non fruſtra gladium gerant, ſed fortiter, animoſe & fideliter eo vtantur, ad voluntatem & ope-
Pſal.82. ra Domini cum hoc perficiẽda, Inde
Ioh.10. tales in ſacris libris diĵ, à ſancto autẽ
Rom.13. Paulo miniſtri Dei appellantur, Magiſtratus, inquit, miniſter Dei eſt in tuum bonum, qui mittitur, vt Petrus
1.Pet.2. dicit, ad vlciſcendum qui mala, & ornandum eos qui bona faciunt.

Cum autem magiſtratus non tantum ſit poteſtas Dei eo modo, quo ſcriptura Ethnico etiam magiſtratui hoc tribuit, ſicut Chriſtus Pilato dice
Ioh.19. bat, Non haberes poteſtatem in me, niſi tibi data eſſet ex loco qui ſupra eſt, ſed Chriſtianus magiſtratus conſors etiam, quaſiq; miniſter, & præcipuè quidem, eſſe debet potentiȩ agni IESV Chriſti, quem Deus in noſtra natura dominum Dominorum & re-

gem

gem regum fecit, vt reges terræ, qui *Apoc.1.*
olim ethnici fuerunt, ſub imperium *& 19.*
agni venirent, & Eccleſiæ deferrent *1.Tim.6.*
gloriam ſuam, & nutritores huius fierent;
id quod compleri tum cœpit, *Eſa.49.*
quando religionem Chriſtianam receperunt,
& ſub arbore ſinapis, quæ fi *Math.15.*
des eſt, nidos ſibi fecerunt. Hac igitur *Luc.13.*
de cauſa Chriſtianus magiſtratus talis
peculiariter docetur, vt hac gloria, & parte potentiæ ſuæ ea, quam cum agno cōmunem habet, recte vtatur, & hanc Satanæ & Antichriſto ne prodat, niſi in beſtiam illam aut horribile animal illud, quod meretricem geſtat, conuerti velit, Néve pudeat eum nominis I E S V Chriſti Domini noſtri, & vt hoc munere ſuo veritatē ſancti Euangelij ornet, portas veritati vbicunq; poteſt aperiat, miniſtrorū & populi Chriſti defenſor ſit, Idolatriam ac Tyrannidem Antichriſti ne approbet, quantum in ipſo eſt, multo minus eam ſequatur, etiam ſi hac de cauſa mali aliquid ipſi perpetiendum eſſet, Atque ita coronam

ſuam coram agno deponat, eiq; vnà cum ſpiritualibus regibus & ſacerdotibus Eccleſiæ ſanctæ, hoc eſt cum omnibus fidelibus, & ad vitam æternã vocatis Chriſtianis, inſeruiat, Ad quã rem & Pſalmus ſecundus magiſtratus hortatur, Cuius ſæpè ſe commo-
Pſal. 2. nefacere debẽt, vbi ſic habet: Et nunc
Eſa. 1. reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino cum timore, & lætamini cum tremore. Ex his ſequitur & concluditur argumentando, Quicunq; ordinaria hac poteſtate Dei & agni, cum patientia in rebus aduerſis ſuis tam ad dextram quã ſiniſtram, eo modo quo dictum eſt vtuntur, eos pro hac re & opera ſua
Pſal. 82. luculentam & immẽſam mercedem,
Sap. 6. benedictionémq; diuinam in terris, atq; etiam in altera vita, per fidem in Chriſtum, percepturos eſſe, & contra ſuper malos illos ferinos ſanguiníſq; ſitientes, qui non agunt pœnitentiã, horribilis vindictæ pœnas in hac vita, & poſtea in æterno ſupplicio venturas eſſe.

Ad

Ad hæc, docetur etiam populus de ſuo officio, & re ipſa verbo dei eo adigitur, vt vniuerſi & ſinguli, in omnibus, quæ Deo tantum non ſunt contraria, eminenti poteſtati ſubiectionem præſtent, primum Regiæ Maieſtati veſtræ, poſtea omnibus magiſtratibus, & qui cum poteſtate ſunt, in quibuſcunq; etiam muneribus ſint collocati, ſiue ipſi per ſe boni viri ſint, ſiue mali, itémq; omnibus adminiſtris & legatis horum, & vt eos reuereantur, colant, & quæcunq; eis iure debentur, ea omnia vt præſtent, etiam honorem eis, tributū, vectigal, & ſimilia alia, ad quæ pendenda obligantur, vt præſtent & pendant. Quæ verò ad hominum animas, fidem & æternā ſalutem pertinēt, de his idem populus docetur, debere eum nemini plus obedire quam Deo, ſed huic ſoli & vnico Deo, & ſancto verbo eius, omnium maximè & præcipuè, ſecundum illud, quod Dominus mandat, Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei. Quod ſi aliquis *Matt.22.*

conaretur aliquos ex hac vera Chriſtianâq; ſententia & ratione deijcere, ibi exemplum Apoſtolorum ſequi illi deberent, qui firmo & intrepido animo Magiſtratui & conſilio Hie-

Act. 5. roſolymitano ita reſpondebāt: Oportet Deo plus obedire quam hominibus. De quo & patrum veterum, & iuris Canonici ſententia extat, vbi ſic ſcribunt, & ſunt hæc S. Hieronymi

Cauſa 11. Quæſt. 3. ca. Si Dominus. verba: Si Dominus (vel magiſtratus) ea iubet quæ non ſunt aduerſa ſanctis ſcripturis, ſubijciatur Domino ſeruus: Si vero contraria præcipit, magis obediat ſpiritus quam corporis Domino: Et aliquanto inferius, ſi bonum eſt quod præcipit imperator, iubentis exequere voluntatem, ſi malum, reſponde, Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

CAPVT XVII.

De Sanctis hominibus, & horum cultu.

DE ſanctis hominibus docetur, primum, quod nemo inde vſq; ab initio mundi operibus aut actionibus pijs ſuis, aut vnquam fuerit, aut nunc ſit, aut futurus ſit ſanctus deinceps, vſq; ad finem mundi, ſecundum vocem Moſis, fidelis ſerui Domini, quando ad Dominum exclamabat, Domine, coram te nemo eſt innocẽs, id eſt ſanctus. Et in libro Hiob ſcriptum eſt, Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat (ſcilicet coram Deo,) natus de muliere? Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cœli non ſunt mundi in conſpectu eius, Quanto magis abominabilis & invtilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem. Et ſcriptura ſacra diſertè teſtatur, per omnes libros ſuos, omnes homines, ſtatim ab ortu ſuo, natura eſſe peccatores, neq; eſſe, neq; fuiſſe quenquam, qui à ſe, & ex

Exod.34 *Iob 15.* *Eph.2.* *Pſal.14. & 52.* *Rom.3.*

ſe,iuſtus & ſanctus eſſet, ſed omnes à Deo declinarunt invtileſq; facti ſunt, & nullius omnino precij. Quod autem aliqui ſancti Deóq; accepti facti ſunt, id eis ſine vlla dignitate aut merito ipſorum ab eo qui ſolus ſanctus eſt,conciliatum eſt,Deus ipſe,ex mera gratia & ineffabili opulentia bonitatis ſuæ,eò eos deſtinauit atq; perduxit,vt eſſent electi & vocati, per Chriſtum redemti,per ſanguinẽ eius mundati & conſecrati , à Spiritu ſancto vncti, per fidem in Chriſtum iuſti & ſancti redditi,& laudabilibus virtutibus, boniſq; & Chriſtianam profeſſionem decentibus actionibus ſeu operibus exornati, quorũ multi qui vitam ſuam curſumq; in his confecerunt,iam æterno gaudio in cœlo, vbi Deus ſuos coronat, per gratiam donati ſunt & affecti. Ex his etiam aliquos Deus peculiari quadam gratia ſua,diuiniſq; donis,ad miniſteriũ publicumq; & commune bonum Eccleſiæ, affecit, quales fuerũt Patriarchæ, Prophetæ,aliјq; ſancti patres: Item,

Apoſtoli, Euangeliſtæ, Epiſcopi, & *Eph. 4.*
multi Doctores & paſtores, atq; alij *1. Cor. 12.*
etiam excelſi, raræq; pręſtantiæ, & ſpi
ritu inſtructiſſimi homines, quorum
memoria, laborum monumenta, &
commoda quæ præſtiterunt, vſq; ad
hodiernũ diem in ſacris literis & Ec-
cleſia extant & durant.

Inprimis autem & creditur, & pro-
fitendo celebratur, de ſancta Maria *Luc. 1.*
virgine, quod ſit filia ſtirpis Regię ex
Domo & familia Dauidis illius cari
famuli & amici Dei, Et à Deo patre
delecta, & benedicta, à Spiritu ſan-
cto cõſecrata, præq; alijs ſexus huius
viſitata & ſanctificata, Etiam mirifica
gratia virtuteq; Dei repleta, in hunc
finem, vt reipſa veráq; mater Domini
noſtri IESV Chriſti filij Dei fieret, ex
qua naturã noſtram aſſumere digna-
tus eſt, quódq; ſit vera, caſta, pura vir-
go, omni tempore, ante partum, in
hoc, & poſt hunc, & per cariſſimum
ſuum & Dei viuentis filium, precio
mortis, & ſanctiſs. ſanguinis ipſius
profuſione, care redemta & ſanctifi-

cata, atque à ſancto ſpiritu per fidem vna cariſſima conſors Chriſti reddita, excelſis donis, nobilibus virtutibus, bonorúmque operum actionibus exornata, præ cæteris beata celebrata, certiſſimáque cohæres facta vitæ æternæ.

Quomodo & noſtri, ſicut homines Chriſtianos facere par eſt, conſecratos ei dies feſtos, memoriámque huius, ad laudem & gloriam Dei celebrant, pias Chriſtianáſque de ipſa cantilenas componunt & decantant, magnáſque res illas, quibus Deus ipſam præ alijs affecit, cum voluptate, & ſtudioſe, & ad ſeſe confirmandos, commemorant, partámque ſalutem generi humano ſimul ſibi vniuerſis congratulantur, & gratiſſimis animis proſequuntur, & cũ vniuerſo populo Chriſtiano beatam eam confitentur atque profitentur, Deum propter hæc omnia laudant, eiúſque virginis vitam ſanctam, & bonos mores pro viribus fideliter ſequũtur & imitãtur, quódque
Iohan. 2. ipſa mandat miniſtris nuptialibus, rę

ipſa exequuntur, & cum ipſa ſemper in cœlo eſſe expetunt. Atq; hæc quidem omnia de ſacrarum literarum ſententia.

Ita etiam inſtituitur Eccleſia, nemi nem debere ſanctos homines, nedũ imagines horum, ita vt Deum colere, eóve cultu hos, animíq; affectione, quæ ſoli & vnico Deo tantum debentur, venerari, atq; in ſumma nullo modo, diuino cultu eos afficere, aut hũc his tribuere, Deus enim per Prophetam Eſaiam dicit, Ego Dominus Deus tuus, hoc eſt nomen meum, Non dabo honorem meũ alteri, neq; gloriam meam ſimulacris. *Eſa.42. & 48.*

Sic verò docetur ſanctos rectè coli, vt populus certis diebus definito tempore ad cultum diuinum conueniat, beneficiáq; Dei quæ ſanctis hominibus, & per hos in Eccleſiam ſuã contulit, in animum reuocet & commentetur, atq; ſimul de vocatione ipſorum, ſeu loco quem tenuerunt, doctrina, fide, vita, pietatíſq; exercitijs, & vltimo vitæ exitu, ſe commone-

faciat, quo in eadem veritate per verbum Dei quaſi exędificetur, Deúmq́; pro his & nomine horum celebret, & gratias ei agat, vtiles, & à ſuperſtitione puras cantilenas de ipſis accinat, & ad ſimilem obedientiam, imitationémq́; fidei, operúmq́; & actionum in ipſis pietatem, ſanctitatem et honeſtatē ſeſe exuſcitet & incitet, Deúmq́; inuocet, vt largiatur ei conſuetudine & ſocietate horum frui: tam hic gratiæ tempore, quam deinceps in æterna gloria. Quę vniuerſa breuibus verbis bellè comprehenſa ſunt in Epiſto-
Hebr.13. la ad Hebræos, vbi dicitur: Memores eſtote ducentium vos præeundo, qui locuti ſunt ad vos ſermonē Dei, quorum vitæ curſus exitum, animo reputantes, fidem ipſorum imitemini.

Sicut autem contradicitur ei rei, vt Deo debitus honor ſanctis tribuatur, ita nullo etiā modo permittitur, vt honor agni Chriſti Domini noſtri, & quę propria ſunt huius, eíq́; ſoli debentur, atq́; ad proprium verúmq́; naturæ ipſius ſacerdotium pertinent, in

illos

illos transferantur, hoc eſt, ne ex ipſis & ijs cruciatibus quos perpeſſi ſunt, redemtores aut merita in hac vita, in cœlo autem ne aduocatos, interceſſores & mediatores faciamus, néve hos inuocemus, & non tantum hos, ſed ne ſanctos quidem Angelos, cum non ſint Dij, vnicus enim tantum redemtor eſt, ſemel hic corpore & ſanguine ſuo morti traditus ſacrificãdo, vnicus etiam tantum aduocatus, noſtrum omnium benigniſſimus Dominus. *1. Tim. 2.* *Hebr. 9.* *1. Tim. 2.* *1. Ioh. 2.*

Non autem ij tantũ ſancti credendi, & agnoſcendi, qui anteceſſerunt nos, & in Domino obdormierũt, atque iam inter gaudia habitãt, Sed & ij qui vt ſemper in terris fuerunt aliqui, ita iam etiam in terris viuunt, Tales ſunt omnes veri & pij Chriſtiani, vbicunque etiam illi locorum aut terrarum, hic aut ibi, & inter quoſcunque populos vitam degant, qui per baptiſma in nomine Domini ſanctificati ſunt, & vera in filium Dei fide donati, diuinæ caritatis et dilectionis affectu inter ſe

mutuo incenſi flagrant, quíq; iuſtifi-
cationem Chriſti agnoſcẽtes, & hac,
& abſolutione à peccatis , & ſacra-
mento corporis & ſanguinis Chriſti
communicando vtuntur, omníbúſq;
pijs & profeſſionem Chriſtianam de-
centibus pietatis exercitijs diligen-
ter ſtudent, Quomodo & Apoſtoli
tales Chriſti fideles, qui adhuc in ter-
ris in conditione mortali obuerſan-
tur & peregrinantur, ſanctos appel-
1.Pet.2. lant: Vt, vos eſtis genus ſelectũ, Re-
gale ſacerdotium, gens ſancta, popu-
2.Cor.13. lus acquiſitus. Itẽ, ſalutant vos omnes
Hebr.13. ſancti, Item: ſalutate omnes qui ducũt
vos pręeundo, & omnes ſanctos, hoc
eſt, omnes fideles Chriſtianos.

Hac de cauſa docetur, quod Chri-
ſtianos vniuerſos, præ cæteris popu-
lis, intimi cordis amore & fauore
proſequi, & cum opus eſt, de amoris
affectu miniſteria noſtra eis præſtare,
eíſq; commodare debeamus, Cum ijs
vero qui veritatem Chriſti diligunt
& ſequuntur, coniunctionis ſanctæ
neceſſitudinem colendam, optimæ
affe-

affectionis fiduciam de his cōcipien dam, propter Chriſtum eos honorificè habendos, debitam reuerentiam eis de affectu caritatis Chriſtianæ exhibendam, atq; in omni bono procurando officijs et miniſterijs noſtris, vt eis commodetur, ſtudendum, & preces eorum pro nobis expetendas eſſe. Rom.12. Gal.6. 1.Cor.12.

Aberrantes autem, & peccatis affectos Chriſtianos, amanter & humaniter corrigēdos, commiſerationem eis impertiēdam, placido in dilectione animo hos, ita vt decet, tolerādos, ad Deum pro his intercedendū eſſe, vt in viam ſalutis eos reducere velit, quo ſanctum Euangelium propagetur, & gloria Chriſti in omnibus celebretur & amplificetur.

CAPVT XVIII.

De Ieiunio.

DE vero Chriſtianóq; Ieiunio docetur, quod ſit externa, venerationémque complectens fidei actio,

quæ corpore ad abſtinentiam exercendo, vna cum precibus & eleemoſynarum largitione fiat, & ſoli Deo debeatur, quódq; hoc inter Chriſtianos, pro eo vt vires ſinunt, & res rationéſq; poſtulant & concedunt, in vnaquaq; communitate, tam vniuerſorum quam ſingulorum, quocunq;
Math. 6. tempore fiat, abſque hypocriſi & ſuperſtitione præſtandum ſit, ſicut teſtantur ſacræ literæ, & Paulus de eo
2. Cor. 6. inter alia ſic ſcribit, Præſtemus nos quales miniſtri Dei ſolẽt, in ieiunijs.
Luc. 5. Et Chriſtus dicit, Tum ieiunabunt.
1. Cor. 7. Atq; iterum Paulus alio loco, vt vacetis ieiunio & precibus. Non autem in delectu cibi quo aliquis vtatur, poſitum eſt ieiunium, ſed in moderato cibi vſu, & exercendo cohercendóq; & ſubigendo indomitam carnem coram Deo, Inprimis autem in ſpiritu & corde res eſt poſita, quomodo, qua de cauſa, quóve conſilio aut propoſito aliquis ieiunet.

Quomodo autem & qua ratione pij, ſalutare Deóq; placens ieiunium exer-

exercere, & contra, quando non ieiunare, ſed cauere etiam ne ieiunẽt, debeant, apud prophetam eſt, & à Chriſto manifeſtè docetur. *Eſa.58.* *Math.6.* Quid de delectu et diſcriminationibus ciborum ſentiendum ſit, vnuſquiſq; de doctrina Christi diſcere debet, vt hoc modo quicquid in hac parte implicationum eſt, tollatur atq; decidatur. Con uocato autem ad ſe populo Chriſtus ſic dicit, Audite & percipite, quicquid in os ingreditur, non polluit hominem, ſed quod ex ore egreditur, id hominem polluit, id eſt reum facit. *Math.15.* *Mar.7.* Item, de doctrina Apoſtolica, cuius verba ſunt huius ſentẽtię, Nã perſuaſum habeo in Domino IESV, nihil eſſe impurũ per ſe, ſed ei tantùm qui pro re impura aliquid habet, eam rẽ impuram fieri: Quod ſi verò cibi tui cauſa perturbatur frater tuus, nõ amplius ſecundum caritatem ambulas. Nolito perdere cibo tuo eum, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Neque enim regnum Dei cibus eſt aut potus, ſed iuſticia & pax & gaudiũ in Spiritu ſancto. *Ro.14.*

Sunt quidem Chriſtiani hac in parte legibus ſoluti, ita tamen, ne imbecillioribus ſint ſcandalo: ideò addit Apoſtolus, Omnia quidē pura ſunt, ſed malū eſt homini ſi comedit cum offenſione alterius, & alibi ſcribit: Cibus non commendat nos Deo: neque enim ſi comedàmus, meliore loco propterea ſumus futuri, aut deteriore, ſi non comedamus.

1.Cor.8.

CAPVT XIX.

De Vita Cœlibe & Coniugio.

DE conditione vitæ cœlibis, virginitate & viduitate, docetur, in vniuſcuiuſq; arbitrio eſſe poſitum, deligere eam ſibi, aut repudiare, Legis enim modo de his à Deo hominibus nihil eſt mandatum, neque res ab hoc inſtituta, & contra etiam non prohibita: qua de cauſa nemo contra voluntatē ſuam eò adigi debet, neq; inde repelli.

Ad Eccleſiam autem & certos homines

mines,atq; inprimis miniſtros Eccleſiæ quod attinet, noſtri ab initio docuerũt, & nunc docẽt, primùm, Donum caſtitatis peculiari benignitate Dei, & S. ſpiritus, & olim donatum fuiſſe, & hodie etiã aliquibus ad ſingularem vſum & commoda Eccleſię donari,ſicut manifeſta Chriſti oratio teſtatur: Hoc verbum,inquit, id eſt, vt ſine cõiuge aliquis aut cœlebs maneat,non capit vnuſquiſq;,ſed ij quibus hoc datũ eſt. Et S. Paulus etiam & collocat & celebrat hoc inter peculiaria dona, & ad quod peculiariter vocantur aliqui. Atq; inſuper teſtantur hoc exempla quorundam ex Prophetis,Apoſtolis,itémq; S.Iohãnis, atq; multorũ Eccleſiæ miniſtrorum miniſtrarúmq;. *Mat.19.* *1.Cor.7.*

Secundo loco docent hoc donũ non exiſtere de carne & ſanguine: nam quæ inde eſt in hoc genere inhabilitas,eam Dominus diſtinguendo hinc remouet & ſeparat: ſed de ſpiritu zelota,cui gloria Dei propriáque & proximi ſalus, atque miniſterium

etiã Eccleſiæ, ex animo curæ & cordi eſt, atque hac de cauſa à coniugio ſua ſponte abſtinet: Ideò dicit Dominus: qui ipſi ſe caſtrarunt propter regnum cœlorum, id eſt, qui tales ſunt, vt poſſent eſſe coniuges, omittunt tamen & abſtinent, propter intimi cordis affectionẽ & amorẽ erga Deum & verbum huius, voluptatemq́ & lætitiam quam inde percipiunt, pérq́ hoc donum Spiritus, cuius virtus & potentia naturæ motus ſuperat: tam Spiritus quàm corporis puritatem conſeruant, etiamſi non ſit res hæc expers ipſis laboris & difficultatum, quemadmodum & Chriſtianis hominibus omnibus alias etiã ſuaues res,
Matt.10. vitęq́ cõmodas, verbi cauſa, amicos,
Luc.18. opes, & pecuniam, nõ parum fit operoſum & difficile dimittere, vſuq́ earum carere.

Tertio, cœlibem vitam vero conſilio piáq́ ſententia deligendam & ſumendã eſſe, id eſt, Non hoc fine aut conſilio, quod ſibi aliquis aut alteri remiſsionem peccatorum & vitam æter-

æternam, atq; ita ſalutem ipſam hoc modo promereri aut cõciliare velit, nulla enim hoc continentia aut caſtitas, vlláve humâna actio aut virtus alia mereri poteſt, ſola tantum vnigeniti filij Dei Domini noſtri IESV Chriſti innocentia & mors, hæc præſtat & perficit.

Non etiam cum tali ſententia res ſuſcipienda, vt propter hoc donum, ſacro Eccleſiæ miniſterio dignitas aliqua accedere exiſtimetur, aut cœlibum in hoc miniſterio operæ, merito & dignitate ijs quas mariti præſtant præferantur: Sed ſicut Dominus dicit, propter regnum cœlorum vt ſuſcipiatur, hoc eſt, vt is qui propter donum indicatum ad cœlibem vitam idoneus eſt, hic igitur vt minore cum impedimẽto faciliúſq; & expeditius & maiori cum ocio, atq; cõmodius, Eccleſiæ ſacriſq; conuentibus ad ſalutem opera ſua inſeruire poſſit, atq; ita eiuſdem ſalutis quam ipſe per Chriſtum partam habet, cuiúſq; vt particeps ſit per fidem ei gratis ex gratia

datum eſt, & in qua ſe ſeruat & cuſtodit: huius igit̃ ſalutis vt miniſter expeditior eſſe alijs poſſit, cum certum ſit à coniugij conditione multa impedimenta, multáſq; curas, & quietem neceſſariã turbantia multa obijci: & hoc eſt quod Paulus dicit: Velim vos curarum talium expertes eſſe, qui cœlebs eſt, ſolicitus eſt de ijs quæ ſunt Domini, quomodo placiturus ſit Domino. Itẽ: Exiſtimo hoc bonum eſſe propter vrgentem neceſsitatem. Item, Ad id quod decet, & aſsiduitatem præſtandam, inſeruiendo Domino ſine diſtractione. Et ſuprà Domini vox citata eſt, cum dicit, eſſe, qui propter regnum cœlorum abſtineãt. Et S. Paulus, Qui non dat nuptum, melius facit.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

Qua de cauſa docetur, omnes eos qui hoc vitæ genus ſua ſponte ſibi ſumunt & deligunt, hoc ſummo ſtudio agere debere, vt in tali vita ſingulari cum contentione, ſerióq; pietatem exerceant, & ſancti ſint, ſicut Paulus præcipit, tam corpore quàm ſpiritu,

actionúmque honeſtate, & Chriſtianam profeſſionem decentium occupationum laboribus, inſeruiendóq; Eccleſiæ, & miniſteria ſua præſtando ægrotis & egentibus membris ſuis, alijs præluceant.

Hoc donum & propoſitum taliũ, qui ſe ita hac in parte Deo cõſecrant, pietatíſque exercitium ipſorum tale, noſtri commendant, & in hac re ſuadenda fidem ſuam præſtant: ſed ſuadent, vt diximus, non cogunt, quod & Paulus facit, qui ſcribit, de virginibus mandatũ Domini non habeo, ſed profero ſententiã meam, qui hac miſericordia affectus ſum à Domino, vt fidus ſim. Bonum eſſe exiſtimo homini eſſe talem, & concludit hoc modo: Beatior eſt, ſi talis, id eſt cœlebs maneat, quàm ſi nubat, ſecundum meam quidem ſententiam: videor autem & ego ſpiritum Dei habere. Quomodo & ijs qui tales ſunt, præ cæteris benignæ & peculiares promiſſiones factę ſunt, et ſingulariũ compenſationũ, nimirũ quod labori 1.Cor. 7.

Sap.3. præclaro merces etiam ampla repen datur, & neminem quicquam Domini cauſa gratis dimiſſurum, vt verbi cauſa domum, patrem, fratrem, ita e-
Matt.19. tiam vxorem, etc. quod Apoſtoli fecerunt.

Præterea docetur, vt qui hoc donum à Deo acceperunt, atque in hac parte ſpectati exploratiq́ꝫ, Domino & Eccleſiæ ſua ſponte inſeruiunt, hi igitur vt hoc donum vna cum reliquis donis magnifaciant & diligenter cuſtodiant, ne vllis cupiditatibus malis vllarúmve occaſionum illecebris, id amittant.

Quod ſi tamen fortè bonum aliquem fidelémq́ꝫ & dilig ētem virum, eiuſmodi tentatio inuaderet, vt à libidinum ardore & facinore ſibi metueret, nemini tum laqueus tenditur, aut conſcientię periculum ſtruitur, ſed talis qui eſt, ad conſilium ſeniorum & Eccleſiæ præſides, qui ſpiritum Dei habent, ablegatur, vt omnia ordine, decenter, cum exempli honeſtate & omni conſideratione habita, in Ec-

cleſia fiant. Tum verò, ſi his ita factis, vitæ genus legitimè mutat, non peccat ille, cum pareat ſancti ſpiritus cõſilio, & Eccleſia ſancta hanc ob cauſam contemnere eum non debet, neque miniſterium ipſius minoris face re: ſi tamen hac de cauſa contemneretur, quod ſine peccato ab Eccleſia fieri nõ poteſt, omnino ei melius fue rit, animã eum ſuam hoc modo conſeruare, etiã ſi ex vulgo tantum Chriſtianorũ vnus manere deberet, quàm cum peccato in miniſterio perſiſten do hanc perdere & damnare.

Etſi autem ad exemplum primæ Eccleſiæ propius accedere videtur, vt digni & honeſti mariti ad animarum in Eccleſia curam deligantur, quam ijs, qui antea cœlibes in miniſterio Domini operam nauarunt, vitæ generis mutationem permittere, A noſtris tamen, ſicut ſalus Chriſtiana, ita etiã miniſterij Eccleſiaſtici dignitas, ſanctitas & virtus, neutro ex his vitæ generibus, neq; cœlibe neq; coniugij conditione, fundatur, neq;

præter illam vnicã, quæ in cœlibem vitam cadit & à ſpiritu ſancto prædicatur commoditatem, opportunitatémq́; in hac re aliud quicquam quęritur & ſpectatur, vt ſuprà.

Poſthæc conſequenter de coniugio ſic docetur, talis vitæ conditionem, etiãſi multas difficultates, pœnasq́; & maledictiones habet, quibus poſt lapſum hominis & genus humanum, & ordo hic, premitur, ſic tamen ſanctam Deóq́; acceptã eſſe, ideo quod Deus ipſe initio eam inſtituerit, & poſtea Chriſtus Dominus eam conſecrauerit, atque in ijs qui ipſius ſunt, quotidie conſecret, adeò
1.Cor. 7. quidem, vt & liberi horũ ſancti ſint, atq; pręter hæc, peculiariter ei à Deo factas ſingulares promiſſiones atq; benedictiones habeat, quę ſacris literis ſunt cõpræhenſæ. Inde igitur veri Chriſtiani omnes ſcire debent, quicunq; hoc genus vitę, ita vt decet deligunt, rectóq; conſilio huic ſe & tradunt, & in hoc verſantur, eos nõ tantum non peccare, ſed id quod Deus

velit

velit,cum bona conſcientia facere & peragere, atq; in vitæ genere verſari eiuſmodi, ad quod Deus peculiariter aliquos vocet,& eidem hos Domino ſeruire,cui & cœlibes ſeruiãt.

CAPVT XX.

De tempore gratiæ.

ET poſt & inter omnia docet de tempore gratiæ, & viſitatione paterna,vt diſcant conſiderare homines, ætatis tempus omne, quod in hac vita degunt,à Deo ipſis vt gratię ſit tempus concedi, intra quod Dominum & Deum ipſorum,gratiamq; & miſericordiam huius, vtq; ab eo diligantur,quærant,& hoc modo ſalutem hic ſuam in Chriſto conſequantur, cuius & Apoſtolus in concione ſua, quam Athenis habuit,mentionem facit,cum dicit, definiuit homini Deus tempora,quę præuidēdo cō ſtituit, & limitibus pactis circumſcripſit habitationés eorū, ad quærendū Dominū, ſi fortè palpando inuenire Act.17.

eum poſſent. Et per Prophetam E-
Eſa.49. ſaiam dicit Dominus, In tempore pla
cito exaudiui te, & in die ſalutis auxi
2.Cor. 6. liatus ſum tibi. Ecce nunc, inquit Pau
lus, tempus eſt acceptum, ecce nunc
dies ſalutis. Itaq; ſine intermiſsione
populus admonetur, vt, dum in ter-
ris viuunt, recteq; valent, & tempus
gratiæ à Deo cõceſſum inter manus
præſensq; habent, veram pœnitentiã
agant, vitæ emendationem inſtituãt,
cum Deo ſe reconcilient, conſcien-
tiam per fidem in Chriſtum erigant,
per miniſterium Euangelij in Eccle-
ſia pacatam hanc reddant, atq; hoc ſe
confirmẽt, quod Deus ipſis propter
Chriſtum ſit propitius, omniáq; pec-
cata remittat. In hac igitur oblata gra
tia quando ſunt cõfirmati, ſeq; ad ſta-
biliendam ſeu confirmandam voca-
tionem ſuam in bonis operibus fide-
liter exercẽt, tandem etiam cum cer-
ta ſpe ſalutarẽ exitum expectare, cer
tóq; ſibi perſuadere debent, animas
ipſorum poſt mortem, ita ſicut pij il-
Luc.16. lius Laſſari animã in cœleſtem æter-
námq;

námq́ quietem ab Angelis certo delatum iri, vt ſint ibi vbi eſt Dominus & redemtor ipſorũ Chriſtus IESVS, & poſtea in die reſurrectionis rurſus hanc cum corpore ſuo coniunctum iri, ad fruendum gaudio & gloria æterna verbiſq́ inexplicabili: neq́ enim in condemnationẽ, ſed magno cum gaudio ex morte in vitam perrumpendo tranſibunt. *Ioan.12. & 14. & 17.* *Ioan.5.*

Ad tales commonefactiones vſurpandas excitat nos Epiſtola ad Hebræos, cum dicit, Cohortamini ipſi vos inter vos alij alios quotidie, quãdiu durat nomen hodie, ſeu diei hodierni, ne quis ex vobis induretᷣ deceptione peccati. In quietem enim ingredimur nos qui credidimus, id eſt, qui voci diuinę, dum tempus conceſſum fuit, paruimus. Contra, hoc etiam certiſſimè tenendum, ſi aliquis in peccatis virtutiq́ manifeſtè cõtrarijs, & turpibus facinoribus pollutus, abſq́ vera pœnitentia & fide ex hoc mundo moriẽdo decedit, huius igitur animæ non aliter quàm illius *Hebr.3.* *Hebr.4.*

diuitis fideiq; expertis hominis, certò ad infernum migrandum eſſe, in cuius abyſſo nulla guttula eſt gratię, atq; in die iudicij in auribus eius ſonãtem maximè omnium terribilem vocem filij Dei audiendam ei eſſe, qua
Matt. 25. dicturus eſt, Diſcedite à me vos maledicti in ignem æternum, qui para-
Iohan. 5. tus eſt Diabolo et angelis eius: qui enim mala perpetrarunt, prodibunt ad reſurrectionem iudicij.

Itaq; indeſinenter inſtatur docendo, ne quis pœnitentiam conuerſionémq; ad Deum ſuam, in ſenectam vſque, aut dum in morbo decumbat, differat, atque interea in peccatis, atque carnis & mũdi cupiditatibus audacter petulantiam ſuam exerceat,
Eccleſ. 5. quia ſcriptum eſt, Ne dicas, Miſericordia Domini copioſa expiabit peccata mea: nam miſericordia & ira apud eum feſtinant, & ſupra peccatores incubabit indignatio ipſius. Ne differas cõuertere te ad Dominum, & ne protrahas diem ex die: de repente enim egredietur ira Domini,
&

& cum negliges, extirpaberis, et tem pore vltionis interibis.

In primis autem periculoſa res eſt, ſi quis poſt acceptum donum gratię diuinæ, inq́ teſtimonio conſcientiæ bonæ, cōſulto & petulanter peccat, omnésq́ ex intimo corde factas ad ipſum & paternas cohortationes atque inuitationes ad id quod ſalutare ipſi ſit tempori cogitandũ, & reſipiſcendũ, contemnit & nihili facit, atq́ inſuper in perſuaſione de miſericordia Dei audaci & cæca, & hac fretus peccat, cōfidentérq́ ea abutit̃, ſinéq́ pœnitentia vſq́ ad extremũ agona eſſe talis pergit, & tum primùm terroribus mortis, metúq́ pœnarũ infernarum impulſus, tam ſerò ſe cōuertere & Dei miſericordiã inclamare vult, quãdo ſeuera Dei intolerabiliſq́ ira iam exardeſcit, pœnæq́ tanquã vehementes fluminum impetus quibus fruſtra reſiſtitur, ruunt et perrumpũt: De tali igitur, quod dolenter dicimus, difficile eſt credere quod vera ſit in eo conuerſio, ideóq́ periculum

Pro. 1.
Eſa. 30.

eſt, ne compleatur in eo, quod Deus minatur per Prophetam Micheam, loco gratiæ iram Dei eum expertu- rum, & hac vt conficiatur futurum eſ ſe. Horribili enim oratione ſic dicit il

Mich.3. le, Tunc clamabũt ad Dominum, & non exaudiet eos, ſed abſcondet fa- ciem ſuam ab eis tempore illo, ſicut & ipſi vitam egerunt cõtinenter im-

Heſech.8. piam. Imò Deus ipſe dicit, etiã ſi cla- mauerint ad aures meas voce ma-

Ier. 7. & 11. gna, tamen non exaudiam eos, Cum meam vocem audire noluerint, quã- do tota die expandi ad ipſos manus meas, atq; ad gratiam tempus eis ſpa cíũmq; conceſſi abundè. Qua de cau

Eſa.65. & 66. ſa clamat S.ſpiritus dicens: Hodie ſi audiueritis vocem eius, nolite obtu-

Pſal.95. rare corda veſtra, ſicut factum eſt in

Hebr.3. exacerbatione in die tentationis il- lius in deſerto.

Secundum hæc igitur omnia, dili- genter noſtri atque ex fundamentis ſcripturæ, hortantur, vt ad auerten- dum metum periculi grauiſſimi, imò etiam ne prodat ſalutem animæ ſuæ,

vnuſ-

vnuſquiſq; tempori hoc fidele conſilium, doctrinámque neceſſariam ſibi vſurpet, eámq; ſequatur: omnino enim vehementer metuendũ hoc horribile periculum, ne, quam res mercedem meretur mortis æternæ, eam igitur, ne, & meritò quidẽ accipiat, quicunque hoc à Deo benignè conceſſum gratiæ tempus temerè cõtumacitérve contemnit aut negligit, ſicut & diuus Ambroſius inter alia multa, quæ in hanc ſententiam variè diſputat, ſic etiam ſcribit, huius ſententiæ verbis: Si quis in extremo articulo mortis pœnitentiam egerit, & abſolutus fuerit: ſiquidem hoc illi denegari non potuit: ita diſcedens ex hoc corpore moritur, non audeo dicere, quòd hinc bene exeat: nõ aſſero, neque audeo hoc affirmare aut promittere cuiquam, quoniam neminem fallere velim, cum de ipſo nihil certi habeam. Nunquid dico damnabitur? Sed nec dico liberabitur. Quid enim aliud dicam neſcio, Deo commendetur. Vis ergo frater à dubio liberari?

Lib. 3. De pœnitentia, qui Auguſtini eſſe putatur.

age pœnitentiam dum ſanus es: ſi vis agere pœnitentiam dum peccare nõ potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.

Ne quis tamen deſperet, docetur & hoc, Quod ſi etiam in extrema hora vitæ, veræ pœnitentiæ ſigna apud aliquem appareant, id quod raro fieri ſolet, (omnino enim verũ eſt quod in Epiſtola ad Hebræos ſcribitur,
Hebr.6. Atq; hoc etiã faciemus, modo Deus vt fieri poſſit concedat,) Talem igitur & ipſum ab inſtructione, conſolatione, abſolutione, aut remiſſione peccatorum, non eſſe deſtituendum: tempus enim gratiæ durat quandiu hæc vita durat. Quapropter quandiu hic viuitur, par eſt vt cogitetur de ſuprà commemorata prophetica
Hebr.3 & Apoſtolica ſententia, Hodie vbi audiueritis vocem eius, nolite obturare corda veſtra.

In eo verò occupantur noſtri, omniq; & ſeria cõtentione hoc agunt, vt omnes huic benigno mandato cõſilióq; pareant, & celeriter pœnitentiam

tiam agant, & priuſquam ſol inſolitũ ad modum obſcuretur, & tenebris obruantur montes, depoſitóq; peccato, ad Deum ſe, vera fiducia ad eũ cõfugiendo, intimiq; cordis conſtanti inuocatione, cõuertant, operámq; dent fidelem, à gloria vitæ æternæ vt ne repellant, ſed cum Chriſto & Eccleſia ipſius in hac vita ad tempus, & in altera ibi in æternum viuere vt poſſint. Amen.

ATq; ita hactenus Regiæ Maieſtati veſtræ rationes & cauſæ fidei, doctrinę, Chriſtianęq; religionis noſtræ, ſcripto hoc informatæ ſunt indicatæq;, cuius modi doctrinã noſtrarum Eccleſiarum miniſtri vniuerſi & ſinguli, vnuſquiſq; pro dono diuinitus ipſi conceſſo, conſentientibus ſententijs tenẽt, vſurpant & concionantur, hâncque aduerſus oppugnantes, aut contrarios ei errores docendo ſpargentes, conſtanter tuentur atque propugnant, non huius mundi potentia, ſed ſacris literis: ne-

que tamen abſque Chriſtianam pro-
feſſionem decente illa moderatione
in hac cōtumaciter potius quàm re-
ligioſe perſiſtunt, aut vnquam perſti
terunt, ſed ſi quid fortè in hac non re-
ctè ab ipſis acceptum deprehenda-
tur, idq; ex certis fundamentis verbi
Dei: quod norma iudicij eſſe omni-
bus hominibus debet: placidè mitiq;
ſpiritu, ſicut fieri par eſt, eis indicet,
parati promptique ſunt, & ad hoc ſe
nunc etiam, vt ante hac ſemper offe-
runt, quod debita cōſideratione, ve-
ráq; veritatis cognitione habita, eam
quę meliora fundamēta habebit do-
ctrinam gratiſſimis animis acceptu-
ri ſint, libentérq; reipſa quod corrigē
dum fuerit, emendaturi.

Quapropter Sereniſs. Rex Domi-
ne benigniſſime, Reg. M. V. de hac
confeſſione noſtra iudicium iam fa-
cere, & diligenti iuſtáq; cōſideratio-
ne habita, perpendere velit, an etiam
hanc doctrinam aliquis iure & me-
rito, vt ſacræ ſcripturæ inconſenta-
neam, parúmq; Chriſtianā, repudia-
re

re condemnaréq; poſſit. Nos quidē ita exiſtimamus, ſi quis hanc contemnere cōdemnaréve auderet, illum ipſum etiam ſacram ſcripturam, vnde excerpta eſt, veteréſque & veros Chriſtianos Doctores, cum quibus conſentit, atq; etiam ſanctam Eccleſiam ipſam, quæ ab initio, conſtantérq; ita docuit docétq;, condemnare eum oportere.

Atq; hinc R.M.V. benigniſſimè percipere ſtatueréq; poteſt, an nobis doctoribúſq; noſtris, parum fauentium, aduerſariorúmque accuſatoriæ aduerſus nos delationes criminationéſque, iuſtæ ſint aut minus. Petimus igitur ſubiectiſſimè, ne R.M.V. aduerſarijs noſtris in ijs quæ diſcrepantibus modis, nullis fundamentis nitentia, de nobis deferunt, locum fidémve tribuat, cum parum humaniter nos, & miniſtros cōcionatoréſq; noſtros inſimulant, quaſi aliam religionem habeamus, doctrinámq; aliam vſurpemus, præter hanc quam R. M. V. in præſentia offerimus,

quódve aliud quippiam, contra Deū Regiamq; M. veſtram, politiæq; con ſtitutionibus & iuri publico Regni Bohemię contrariū, cõtumaciter ſuſcipere audeamus, aut inſtituamus.

Atq; V.R.M. bene ſibi in memoriam reuocare poteſt, quod nos, omnino ſemperq; obedientes, pacificóſq; geſſerimus, atque in omnibus rebus quæ ad ſalutem V.R.M. publicúmq; bonum & totius regni commoda, vertere pertinereq; poſſent, in talibus igitur ne in poſtremis eſſemus, operam nos dediſſe, atq; etiam deinceps, pro fide & officio noſtro ad hæc promtiſſimè præſtanda nos offerimus, neq; tantum virtutem eſſe ducimus, atq; ad honeſtatem ſolum & politiæ conſtitutionem pertinere, vt V.R.M. pacis, cõcordiæ, & huius vitæ præmiorū cauſa, ſubiectos nos fideléſque præſtemus, ſed multo magis placere hoc Deo, eúmq; ita velle agnoſcimus, vt vnuſquiſq; conſcientiæ cauſa magiſtratui obediat, & hūc obſeruet, diligat, colat, & magnifaciat,

ciat, quemadmodum & doctores no ſtri tam ad nos quàm vulgus agunt vt hoc prę́ſtetur, ſępéq; ex verbo Dei docendo ad vtroſq; inculcant.

His V.R.M. nos vt benigniſſimi Domini noſtri, paternæ, benignæq; curæ, tutelæ, et protectioni commendamus, ſubiectiſſiméq; ab hac, ad ea, quæ pro Chriſtiana pietate ad ipſam egimus, benignum, et quod Deo placeat, reſponſum petimus.

Omnipotēs æternus Deus, R.M. V. ad vtilitatem, commoda & incremēta ſanctę Chriſtianę Eccleſiæ ſuæ quàm diutiſsimè rectè valentem benignè conſeruet. Amen.

PROVERB. XX.

Miſericordia & veritas cuſtodiūt Regem, & roboratur clementia thronus eius.

FINIS.

Ut complerentur reliquæ pagellæ, duas Epiſtolas addi curauimus.

REVERENDO IN CHRISTO FRATRI, IOH. AVGVSTAE, VERBI DIVINI *miniſtro Litomyslij inter fratres, ſuo chariſsimo,*

Gratia & pax in Domino.

PEtijt, mi Iohannes, hic frater veſter Laurentius Litomyslenſis literas ad te meas, & ſententiam de nobis veſtram, quàm ſit vera & ſincera, & mei in precibus veſtris memoriã, mihi explicuit.

Quare ego vobis omnibus gratiã habeo, & peto vt deinceps quoque pro me oretis. Perſuaſum enim mihi eſt, non diu duraturam miſeræ huius vitæ meę horam. Opto autẽ vt Deus auferat hinc animam meam in pace, quod feliciter fiat, Amen.

Porrò moneo vos in Domino, vt nobiſcum ad extremum vſq; perduretis in communione Spiritus & doctrinæ, prout cœpiſtis, ac pugnate vnà nobiſcum, verbo & precibus, con tra

tra portas inferorum, quæ indeſinen
ter oppugnāt veram Eccleſiam Dei,
& Dominū & caput huius Chriſtū.
Qui licet aliquando viribus Satanæ
impar videtur, tamen virtus eius in
imbecillitate noſtra perficitur, ſapiē-
tia eius in ſtultitia noſtra celebratur,
& bonitas ipſius in iniquitatibus &
peccatis noſtris fit glorioſa, ſecundū
mirabiles & incōprehenſibiles vias
eius. Ipſe confirmet, tueatur, conſer-
uet & perficiat nos vobiſcum,ad ean
dem imaginem ſuam,& gloriam mi-
ſericordiæ ſuæ perpetuo celebrandę.
Amen. Poſtridie Franciſci, Anno
M. D. XLII.

Saluta reuerenter omnes
fratres in Domino.

Martinus Luther
Doctor.

VENERABILI VIRO IN CHRISTO, D. BEnedicto, cæteriſq; Fratribus Vualdenſibus in Bohemia,

GRatia & pax, etc. Exiſtimo, vir eximie, Fratres tuos in hoc noſtro cõgreſſu, in multis rebus melius meã ſententiã cognouiſſe et perſpexiſſe, ꝙ olim: ego quoq; videor mihi res veſtras percepiſſe. Quare cum de præcipuis articulis doctrinæ Chriſtianæ inter nos conſtet, complectamur nos mutuo amore. Neq; diſſimilitudo & varietas rituum et cæremoniarum diſiungere debet mentes noſtras. Sæpe Paulus cõcionatur de cæremonijs, et prohibet Chriſtianos diſſidere propter varietatem rituum & cæremoniarũ, quamvis mundus propter cęremonias vehemẽter pugnet.

Seuerius exercitium ſeu diſciplina in Eccleſiis veſtris profectò non malè mihi placet. Vtinam in Eccleſiis noſtris quoq; paulo ſeuerior poſſit obtineri. De meo animo erga vos

ita

ita ſentiatis, me vehementer optare vt hi, qui Euangelium amant, & nomen Chriſti glorificari cupiunt, mutua charitate ſeſe proſequantur, atq; ita doctrinam ſuam cõmunibus ſtudijs ad gloriam Chriſti referant, ne ſe ipſos mutuis & domeſticis odijs ſeu diſcordijs perdãt, præſertim propter illas res, de quibus tumultuari nõ eſt neceſſe. Bene valete. Orate pro me, & pro gloria Chriſti. Datę Vuitebergæ Anno 1535.

Philippus Melanchthon.

EX LIBRO BVCERI, CVI TITVLVS, SCRIPTA DUO ADUERSARIA LATOMI, ETC.

pta duo aduerſaria Latomi,etc.in cap.de Eccleſiæ autoritate,pagina 159.

ILla certè ratio optima eſt, quam obſeruant fratres Picardi, qui fidei ſuæ confeſſionem nuper Regi Ferdinando oblatam Anno 1535. ediderunt,cum præfatione D.Lutheri:qui ſoli propè in orbe cum puritate doctrinæ, vigorẽ etiam diſciplinæ Chriſti apud ſe retinuerũt: quam laudem vt ijs tribuamus, & Dominũ qui ſic in illis operatur,celebremus, res ipſa nos cogit,etiamſi Fratres illi à pręposterè doctis nonnullis contemnuntur.Ratio verò quam in hac re obſeruant,hæc eſt:

Præter miniſtros verbi & ſacramẽtorum,habent certum collegium virorum, prudentia, & grauitate ſpiritus præcellentiũ, qui munus obeunt monendi ac corrigendi Fratres peccantes, componendi diſſidentes, & in

in cauſis eorum iudicandi. Excommunicationis tamen ſententiam, nõ niſi cauſa delata ad totam Eccleſiam, & communibus ſententijs iudicata ferunt, idq; per ſupremum Eccleſiæ curatorem.

De huiuſmodi ſenioribus ſcribit & diuus Ambroſius in Epiſtola 1. ad Timot. cap. 5. Vnde & Synagoga, & poſtea Eccleſia, ſeniores habuit, ſine quorum cõſilio nihil agebatur in Eccleſia. Quod qua negligentia obſoleuerit, neſcio, niſi forte doctorũ deſidia, aut magis ſuperbia, dum ſoli volunt aliquid videri, etc.

ERRATA.

Pagina 14 verſu 12 cur à ſocietate lege cur vos à ſocietate 16 5 & 6 offendant lege offendunt 131 20 auertat lege auertatur

BASILEAE,
ANNO REPARATAE SAlutis humanæ M.D.LXXV.